



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Fasc. 6

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1724

urn:nbn:de:gbv:46:1-5849

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Septimae

FASCICULUS SEXTUS.



B R E M A E

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, M D CC XXIV.

VIRO

summe venerando, atque excellentissimo

CONRADO
MEL,

S. T. Doctore, ecclesiarum
ac scholarum principatus
HERSFELDENSIS In-
spectore dignis-
simo,

Collegii Scientiarum, quod BE-
ROLINUM ornat, juxta et illius, quod
LONDINI in Anglia propagationis fi-
dei curam sibi cordi esse vult, fo-
dali merentissimo,

Multis scriptis, suavem doctrinae, praesertim
virtutis Christianae odorem spi-
rantibus incluto,

ORPHANORVM PATRI

*Secundum hunc supra quadrage-
simum*

BIBLIOTHECAE

H V J V S

FASCICVLVM,

Observantiam suam, at-
que amorem publice
explicaturus,

& pro perenni ejus prosperitate sin-
cera vota facturus,
exhibet

EDITOR.

Laterculus eorum, quae in hoc fasce
conspiciuntur.

- I. *Johannis* SIBRANDA ad locum 1. Petr. V:
5. *Διακρίσις* p. 953.
- II. *Justi Martini* GLÆSENERI de DRACONE
in signi regum Aegyptiorum ad illustran-
dum EZECH. XXIX. XXX. XXXI.
XXXII. Capp. diatribe p. 976.
- III. *Jo. Christ.* HARENBERGII *peccati Origina-*
lis demonstratio Mathematica; p. 1008.
- IV. *Jo. Jacobi* RAMBACHII de ignorantia
exegeteos multarum *reliquiarum* matre Ob-
serv. p. 1015.
- V. *Jo. G.* SCHELHORNII de vita & scriptis
Pauli SCALICII Commentatio p. 1027.
- VI. ANALECTA anecdota ad Hist. eccle-
siasticam seculi XV. facientia cum notis
Eilardi Folcarti HARKENROTHII p. 1052.
- VII. De administratione Calicis Eucharistici
Episcopalis admonitio a. 1564. in regno
BOHEMIAE promulgata p. 1074.
- VIII. Catalogus librorum à Reformatis po-
tissimum editorum LATINE continuatus
p. 1082.
- IX. *Theodori* HASAEI de meritis BREMEN-
SIUM in rem *Christianam* ante reformatio-
nis tempora Oratio p. 1096.



ΝΙΝΗ

I.

JOANNIS SIBRANDA, (a)

ad locum I. Petr. V: 5.

Την Ἀπεινοφροσυνην ἐγκομβωσασθε
ΔΙΑΚΡΙΣΙΣ.

ARGUMENTUM.

Quid sit Ἀπεινοφροσυνη §. 1-6. απειν §. 3. φροσυνη, σωφροσυνη §. 4. ΕΓΚΟΜΒΩΣΑΣΘΑΙ §. 7-31. Κομβ §. 8-11. Hesychius emendatur & Lexicon vetus apud Stephanum §. 9. Hesych. explicatur. Gatakerus notatur; Κομβολυτης. §. 10. Κομβομαι. Hesychius iterum emendatur. §. 12. 13. Κομβωμα Hesychius, Phavorinus & Suidas emendantur. §. 14. Εγκομβωμα §. 16-26. Fuit vestimenti genus puellarum §. 19, 20, 21. Pastorum §. 22. Servorum. §. 23. Sensus verborum Apostoli §. 27, 28. Notantur Geclaff. VII. Fasc. VI.

Q q q take-
(a) Sistimus heic tibi dissertatiunculam, quam in priva-
to

takerus & Georgius metropolita §. 30. Aliorum
versiones examinantur & refelluntur. §. 32.

§. I.

UT recte & juxta regulas criticas men-
tem Apostoli Petri in hoc loco clare
percipiamus, id negotii nobis da-
tum esse certo certius constat: ver-
ba proponere, illorum significatio-
nes

to collegio ventilandam ejus auctor a. d. 6. Jan.
1696. proposuerat, publicaveratque. Cum autem
id genus pagellae facile diripiantur, atque evane-
scant, Graecae linguae Studiosis rem me non factu-
rum ingrattam putavi, si heic loci locum illi adsigna-
rem. Auctor ex gente & in terris Frisiorum natus,
literatorum infelicitum numerum augere potest.
Cum a Graecae linguae cognitione & ingenii copia
commendandus esset juveni admodum *Praelectoris*
hujus linguae publici munus in Academia Frisiorum
Franequerana demandatum est, anno superioris
saeculi nonagesimo & quinto, posteaquam celeberrimus
Jacobus *Perizonius* ex illa Lugdunum Batavorum
concessisset, Nicolao autem *Blancardo*, cui illas
litteras docendi provincia incumberebat, ob ingrave-
scentem aetatem vacare suo muneri minus esset inte-
grum. Dolendum autem est istas ingenii quibus
florebat dotes, naevis aliquot haud parum fuisse ob-
securatas. Scientiae enim suae typho inflatus, &
oblitus τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγχευβωπαθεῖν,
efferre se altius, atque alios omnes prae se tanquam
fungos ac vervecum in patria natos despiciere coepit.
Quale ingenium vel ipsa haec dissertatio prodit. Sed
tristi suo exemplo mox expertus est verum esse, quod
Apo-

nes apud Græcos frequentatas eruere, exami-
nare, & observare, illasque præsentî subjecto

be-

Apostolus ipsis his verbis, quæ heic tractantur, proxime subjunxit, *τον Θεον ὑπερφανούς ἀντιπαισσεσθαι*. Cum enim se liberius proluere consuevisset Liberi patris flore, vino autem ignis vi elicito plus æquo delectaretur, paulatim & valetudinem, & existimationem, & animi, quæ in eo non vulgares erant, facultates debilitavit, ac pæne exstinxit. Deprehensus non solum plus vice simplici in platea hesternæ venas inflatus Jaccho, jacere semianimis, sed & accidit aliquando, ut nauta ripas præterlegens in agri, qui ab urbe uno circiter lapide distabat, angulo vino somnoque sepultum, mortuoque quam vivo similiorem, sine motu, sine sensibus inveniens naviculae suæ impositum in urbem apportaret. Quod turpe spectaculum cum curiosorum hominum undique concurrentium ingentem multitudinem excitaasset, omnium perinde risum, & contemptum in se convertit, & ita quidquid adhuc supererat, bonæ famæ prorsus deperditum est, ipseque munere suo ac stipendiis publica auctoritate exutus. Neque ita emendatus est, quin dum sedare sitim tentat, sitis altera crescit, ita ut paulatim exhaustis viribus, vitalique succo in æra abeunte, non diu postea a. 1697. animam efflaverit. Exstat ejus dissertatio de *statu Judææ provinciae sub procuratoribus ad locum Jo. XVIII: 31.* primum agitata publice præside C. Vitringa a. 1689. deinde post mortem, cum quibusdam observ. philologicis ex auctoris manuscriptis collectis a. 1698. in 8. recusa. Ut & altera de *Macello* ad locum *I. Cor. X: 25.* thesesque in N. T. quaedam loca, breves illæ quidem, at lectu atque examine dignæ. Fortassis, & hæc, ubi Deus voluerit, in hac *συλλογή* locum suo tempore invenient.

Ita

bene & legitime applicare. Hoc substrato fundamento primo explicabimus vocem ταπεινοφροσύνης tanquam subjectum, de quo præcipitur, quod illa deberent ἐγκομβώσαθαι fideles ex monito Apostoli Petri.

§. 2. Vox ταπεινοφροσύνη nobis repræsentat cogitationem, humilem, subjectam & submissam, de nobis aliisque. Id docent simplicia ταπεινός vel ταπεινὸν & φροσύνη (liceat mihi hoc vocabulo uti, quandoquidem in compositis εὐφροσύνη & σωφροσύνη occurrit.)

§. 3. Quod ad ταπεινὸν attinet, notat illud omne id, quod est humile & submissum. Glossæ: ταπεινὸν, humile. Similiter in ταπεινός dicunt: ταπεινός, humilis, submissus. Hesychius exponit per χαμαλόν. Sic legimus hoc vocabul. Matth. Cap. XI. v. 29. ubi Christus se mitem & humilem esse corde dicit ταπεινὸν τῆς καρδίας.

4. Vocabulum φροσύνη, licet a me nusquam lectum aut deprehensum fuerit, nihilominus tamen crederem, illud habere in Compositis significationem cogitationis, qua hæc vel ista res hoc vel isto modo consideratur & in animo nostro volvitur, & cum rite perpenſa fuerit, executioni datur, quemadmodum nos docent vocabula εὐφροσύνης, quæ
nil

Ita ejus exemplo pariter & scriptis erudiere, & quemadmodum ex illo, quod tibi ex usu fiet quodque caveas, ita ex his, quod discas, capies. T. d. H.

nil nisi bonam & lætam animi sententiam exprimit, i. e. *letitiam*, ut exponitur in Glossis, & σωφροσύνη, qua denotatur cogitatio animi de semetipso conservando, ne legitimos morum terminos transfiliat.

§. 5. Exempli Gratia, quando in illo dominatur *modestia*, *pudicitia*, *castitas*, & *temperantia*, quæ virtutes ad σωφροσύνην explicandam in Glossis leguntur, quasi essent σωτηρία τῶν φρενῶν.

§. 6. Vox itaque ταπεινοφροσύνη, ex his composita, significat talem mentis cogitationem, quæ, quicquid est humile & submissum, sapit, spirat, & anhelat, æque ac εὐφροσύνη *letitiam*, & σωφροσύνη *modestiam*. Id probatur ex Glossis a Labbæo collectis, quæ ταπεινοφροσύνη explicant per *humilitas*, *humiliatio*, actio sc. talis hominis, qui se humilem gerit & ostendit, sive palam, sive clam. Eleganter hujus vocabuli vim exhausit & expressit Chrysofostomus, Patrum Doctissimus & Solidissimus, Homil. XXXIII. in Genesin h. v. Ταπεινοφροσύνη ἐστὶ τὰ ταπεινὰ φρονεῖν. Ταπεινὰ ἢ φρονεῖ ἕχ' ὁ ἀπὸ ἀνάγκης ὢν ταπεινός, ἀλλ' ὁ ἑαυτὸν ταπεινῶν. i. e. *Humilitas est, humilia sapere. Humilia autem sapit, non qui coactus est humilis, sed qui se ipsum humiliat.* Sic & Idem Homil. CXXIII. T. V. p. 812. Ταπεινοφροσύνη ἐστὶ, τὸ ἐτέρῃ ὀνειδίζοντι φέρειν γενναίως, τὸ ἐπιγνώσκειν τὸ αἰμαρτημα, τὸ φέρειν τὰς κατηγορίας, i. e. *Humilitas est, generose ferre alterius increpa-*

tiones, suum agnoscere peccatum, accusationes ferre.

7. Hac virtute jubet Apostolus Petrus, ut se velint ἐγκυμβώσασθαι fideles, nam expresse dicit τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκυμβώσασθε. Quid hoc sibi velit, explicato, τῷ ἐγκυμβώσασθαι, manifestum ac dilucidum erit.

8. Ἐγκυμβώσασθαι oritur ab ἐγκυμβόωμα, ex ἐν & κυμβόωμα, a κύμβη. Κύμβη, ut inde incipiamus, significat proprie *nodum*, quo duæ res diversæ solent constringi ac connodari. Id patet ex Glossis Latino Græcis, quæ in explicando τὸ *nodus* adhibent vocem κύμβη. Cum his convenit Eustath. ad Iliad. Homer. κ. v. 133. ἀμφὶ δ' ἄρα χλαῖναν περὶ νῆσσοιο, ὃ ἐστὶν, περὶ νῆσσοιο ἤσαν κυμβίαις συνέδησε. Hic pari passu ambulant Περὶ νῆσσοιο & Κυμβία, quatenus per foramina duarum partium distinctarum transeunt ad chlænam vel lænam connectendam. Sic & Lexic. Græc. MS. Cod. Reg. 1708. & 2062. apud Du Cange in Glossar. Med. Græcit. Sic κύμβη, quemadmodum heic κυμβίον, in aliis locis occurrit de nodo, quo res arctatur. Hoc sensu de nodo, quo manicæ solent constringi, audimus Suidam loquentem. h. v. Κύμβη ὁ κύμβη ἔστι δύο χειρῶν. ὅταν τις δέσῃ ἐπὶ τὸν ἰδίον τεύχεον i. e. κύμβη, *Nodus duarum manicularum, quando quis ligat ad propriam cervicem.* Eadem verba etiam leguntur apud Phavorinum. Sic etiam Gerasimus Vlachus Cretensis, ipsemet

met Græcus, in Lexico suo Græco: κόμῃ
 pro κόμβῳ, Nodus, Groppo. Δέσμη, σύν-
 δεσμη, ἀναδεσμα, &c. Quæ singula verba
 habent sensum vincendi, adaptandi, constrin-
 gendi & colligandi. Præterea, ut id, quod di-
 ctum est, magis confirmetur, inspiciendus
 est Apollodorus Manuscriptus in Poliorceticis
 apud Du Cange: Δι' ὧν αἱ κερυφαὶ συνάπτονται
 δεδεμῶσαι ἕκαστα ζευγῆ δι' ἐνὸς χροινὸς κόμβου ἕκα-
 τέρωθεν ἔχοντες, i. e. per quæ vertices utriusque
 jugalis connectuntur crinibus ligando extractis per
 unum funiculum, ab utraque parte habentes no-
 dos &c.

§. 9. Quod ad explicationem τῆς κόμβου at-
 tinet per ὀδόντας γροφίτας apud Hesych. illa fal-
 sa est & merito corrigitur substituendo κόμῃ
 pro κόμβῳ ex autoritate Æschyli. Simili-
 ter etiam relegatur hujus vocis interpretatio
 per ὑψηλὸς πῶτος in Lexico Veteri apud Hen-
 ricum Stephanum, cum ibi sit legendum
 κόμῃ, nam hujus derivata nil nisi altum
 quid & sublime & grande sonant, uti patet
 ex κρημνί, κρημνίς, κρημνῶδες apud Hesych.
 nam κρημνός, non vero κόμβῳ, uti male vul-
 go legitur, id quod innuitur apud Phavori-
 num designat. Hinc originem suam trahit
 κρημνίζεν. Ast manifesto integer ille locus
 est confusus, Maximam enim corruptionem
 nobis instillat vox ὄχθουβῳ, quasi esset idem
 ac ἐγνώμωμα; cum ὄχθουβῳ non fuerit
 vestimentum nodo colligatum & constri-
 ctum,

ctum, sed limbus vel fimbria, qua mulierum vestimenta prætexebantur, vel λῶμα, testante Hesych. Nodi significationem, quam habuit κόμβος, etiam confirmat vox κροσύμβη quæ ab Hesych. exponitur per δεσμός, ἀνάδεσμα, ἢ ἐγκόμβωμα i. e. χιτῶν κροσσωτὸς vestimentum nodo constrictum, si vulgo fides habeatur, nam sanequam opinor, pessime τὸ ἐγκόμβωμα adhiberi ad vim vocis κόμβος exhauriendam, cum κόμβος de nodo, ἐγκόμβωμα vero de vestimento per nodum constricto usurpetur.

§. 10. Præterea notandum est, misere hallucinatum esse Gatakerum Cinni sui p. 107. quando putat κόμβον usitato Sermone usurpatum fuisse pro *crumena*, ex male interpretato Hesychii loco, ubi dicitur, Κομβολύτης, βαλανποτόμος. Verum est, βαλανποτόμος posse fieri atque esse κομβολύτης, ast illos accepisse appellationem, τὸ κομβολύτων, hoc est quod negamus. βαλάντια non sunt κόμβοι. Quando βαλάντια scinduntur, κόμβοι non indigetantur, sed quidem rumpuntur vel secantur, nam partes modo sunt βαλαντίων i. e. Crumenarum κόμβοι, i. e. Nodi, adeoque distinctio aliqua est observanda.

§. 11. Ab hoc vocabulo oritur verbum κομβόομαι, quod proprie notat *nodo constringo* vel *constringor*. Inde transfertur, ut significet *vestire* vel *vestiri*, si Hesychius & Phavorinus non sunt corrupti, quatenus vestimenta apud

antiquos solebant nodo constringi & conjungi, uti antea vidimus in Eustathii loco citato de Chlæna, vel Læna. Hinc Hesychius, si non in mendo cubat, κομβώσαται explicat per ἐπιόσαται, id est, *vestiri, & vestimentis amiciri*. Sic & Phavorinus.

§. 12. Quod ita dubius sum circa istam hujus vocis significationem, ansam dedit frequentissima literarū β & π permutatio & confusio. Exempli gratia in voce κόμβος, quando Hesychius explanationis ergo adhibet ὄδοντις κομφίς, cum manifestum sit illos non κόμβος, sed κόμμος vel κόμπος vocatos fuisse, uti liquet ex Æschylo aliisque. Legerem itaque κόμμωμα pro κόμβωμα, quoniam κομμῆν, κομμῶτι, κόμμωσις & alia vocabula illius cognata & derivata id clarissime indicant apud Hesych. aliosque.

§. 13. De hoc vocabulo κομβώσαι mira excogitat Gatakerus, cum in loco, in quo hodie occurrit κομβῆσαι, pro eo legere ex literarum serie conatur κομίσαι. Sed quis sensus? Forsan legi posset, mox addit, κομβώσαι, ἀναλαβεῖν. i. e. *circumjicere, amicire*, ut ipse vult. Sed unde hoc? Necessario utique legendum est κομπῆσαι, & servandum τὸ ἀναλαβεῖν, i. e. *suscipere, & extollere*. Nisi pro κομβῆσαι velis legere κομίσαι, uti mox videmus, in explanatione τῆ κομίσαι adhiberi Ἀναλαβεῖν. Sed non opus hoc, nisi maxime confusus sit Hesychii locus.

§. 14. Hinc apud illos, uti hodie legitur, oritur κόμβωμα, quod notat σόλισμα vestitum vel vestimentum, & κείρωμα apud Hesychium & Phavorinum, relatione habita ad nodos, quibus coarctabantur. Hac voce insuper exprimitur illud quod est turbinatum & quod nodum repræsentat in sceptris & hastis infra laminas. Sic Hesych. κερβάματα, τὰ ἐν ταῖς ράβδοις μίκρον τόρνον ἔχοντα ὑπὸ πετάλων. Ita legendum est cum Salmasio, non πεπελέων, uti vulgo legitur apud Hesych. & Phavorin. ubi idem locus occurrit iisdem verbis. In his verbis nequaquam *encombomata virgata* nobis repræsentantur, uti recte monuit Vir Ampl. Cuperus ad Apoth. Hom. I. 152. Quod insuper Suidas κερβάματα explicat per καλλωπίσματα, id falsum est, si vulgata lectio servatur; nam ne γὲν quidem de eo constat, quapropter legimus κομμώματα, quæ proprie fuerunt Virginei Comptus, ut & crinalis sive muliebris, ὅτι τὸ κομμῆν quod ab Hesych. exponitur per ὠρχίζειν τὸ σῶμα; veluti κομμῶσαι apud Suidam per καλλωπίζειν τὸ σῶμα ἢ γυναικῶς. Grammaticus apud Ampl. Cuper. p. 152. cit. optime scribit bullas & nodos in sceptris vel baculis torno factos a Græcis κερβάματα appellari. Tale Sceptrum (quod debemus Ampl. Cupero) Jupiter gerit in nummo Græco apud Choulum, uti refert, & in Alio gentis Juliæ apud Ursinum, quorum usus multus fuit in aula Constantinopolitana.

§. 15. Ab hisce vocibus jam expositis originem suam trahit verbum Ἐγκομβώσασι, quod jam postremo propter locum Petri est considerandum, & facile ex præcedentibus cuivis bene attendenti constare potest, quemnam sensum hæc vox exprimat, nullum alium scilicet, quam *nodo illigare* (ut hoc verbo κατ' ἐξοχήν & cum ἐμφάσει utar) *res duas a se invicem distinctas, jam vero arctius per nodum copulandas.* Egregiè vis ista hujus vocis ab Hesychio insinuatur exponendo, ἐγκεκόμβωται per ἐνείληται, id est, *implicatum est, involutum est, id est, res altera alteri est inserta & innexa.* Hinc manifesto sequitur per hanc vocem *generalem quamcunque ligationem non posse aut debere intelligi, propterea quod illa non satis vim significationis in hac voce latentem exhaurit.* In sensu, quem statui, legitur hæc vox apud Apollodorum Karystium in Ἀπελιπέσι vel Ἀπολιπέσι h. e. --- πλω' ἐπωμίδα Πτόξας ἄνωθεν ἐγκεκομβωσάμην, uti habent Suidas & Photius. Minus itaque curate loquuntur Hesych. & Phavorinus, quando ἐγκομβώσις ita simpliciter non expressa γέσει ad vim vocis propriam, quando modo in genere explicant per δεθείς, id est, *vincit, ligatus.*

§. 16. Huic voci ortum suum debet Ἐγκόμβωμα, quo denotatur *vinculum manicarum*, quod ab Atheniensibus vocatur Ὀχθοίσις, ab aliis vero Κοσύμην, propter nodum, quo constringebatur, si fidem habere licet Phavori-

no, uti vulgo legitur, cujus verba hæc sunt: Ἐγκόμβωμα ὁ δεσμός τῶν χειρῶν, ὃ λέγεται παρ' Ἀθηναίοις ὄχθισθ, ὑπὸ δὲ τῶν ἄλλων κοσύμβη εἴρηται ὡσαύτ' τὸν κόμβον. Verum in hoc loco notandum est insigne mendum, quo quasi genuinum quid proponitur Ἐγκόμβωμα ad vinculum manicarum significandum, cum tamen nihil falsius, nam κόμβος dicebatur ὁ δεσμός τῶν χειρῶν, nunquam vero Ἐγκόμβωμα. Locus Phavorini sic est corrigendus & legendus: κόμβος, ὁ δέσμος τῶν χειρῶν. Ἐγκόμβωμα, ὃ λέγεται παρ' Ἀθηναίοις ὄχθισθ. ὑπὸ δὲ τῶν ἄλλων κοσύμβη εἴρηται ὡσαύτ' τὸν κόμβον. Atqui sic Phavorino convenit cum aliis Lexicographis & Glossographis.

§. 17. Adeo ut Ἐγκόμβωμα significet & significare debeat, non manicarum vinculum, sed potius vestimenti genus, quod arctissimo vinculo & nodo colligari solebat, uti ex Etymologia jam exhibita quam dilucide claret, quin & ex Voce κοσύμβη, non vero ὄχθισθ, quæ plane est ἀπεροδιένυσθ.

§. 18. Sed quale vestimenti genus fuerit Ἐγκόμβωμα aut a quibus gestatum, paucis quæso despiciamus.

§. 19. Primo, In usu fuit Ἐγκόμβωμα apud puellas. Id nos docet Nonius Marcellus, Capite de genere vestimentorum: *Encombomata, & parnacides, genera vestium puellarium. Var. Cato, vel de Liberis educandis: ut Puella babeant potius in vestitu Chlamydas, encombomata, ac parnacidas quam togas.*

§. 20.

§. 20. Hæc puellarum Encombomata cultiora & elegantia aliqua insignia (non insignes) fuisse nequaquam docere videntur κομβώματα, quæ sunt Suidæ καλωπίσματα, ὀρνα-
 menta & κομβῶδες, quod Epicharmo pro ornari usurpatur, cum in utroque legendum sit, κομμώματα & κομμῶδες, licet κομβώματα & κομβῶδες velit Cuperus Vir Ampl. in Apotheof. Homer. p. 152.

§. 21. Puellarum ἔγκομβώματα fuisse jure merito fortasse judicavit Gatakerus Cinn. p. 109. Nequaquam ista talia fuerunt, qualia erant Gallorum sagula virgata Maron. Æneid. l. 8. & auro virgate vestes. Quid quæso illud Helychii in verbis: κομβώματα, τὰ ἐν τῷ ῥάβ-
 dois μικρὸν τόρνον ἔχοντα ὑπὸ πετάλων? Verum quæso Te, quisquis sis Lector, (b) quam ineptus & fatuus est Noster Gatakerus. Argumentum videtur Gatakerus expromere, quod mox vero rejicit, cum vitii suspecta sint, Ἐξ quibus vix certi quicquam inde eruere quis posset.

§. 22. Secundo ἐγκομβώματα gestarunt Pastores. Sic legimus apud Longum Pastoralium Lib. 1. Pag. 60. de Tityro Pastore, & dicitur ὁ μὲν ῥίψας τὸ ἐγκόμβωμα γύμνησεν ὡρμησε τεύχειν ὡσπερ νεβρός.

§. 23. Tertio hoc vestimenti genus, ἔγκόμβωμα scilicet, gestatum fuit a servis apud
 ve-

(b) Pareius ista VIRO tamen objicienda memento! T. d. H

veteres. Id innuit Pollux Onomastic. lib. 4. Cap. 8. Pag. 226. Τῆ δὲ τῶν δέλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιον ἢ πρὸς κείται λευκόν, ὃ ἐγκόμωμα (Lege ἐγκόμωμα) λέγεται ἢ ἐπίβλημα. In his verbis manifestum est, ἐγκόμωμα servis fuisse proprium, illudque appositum fuisse illorum ἐξωμίδι. Præterea in hoc loco notandum est, quod fervorum ἐγκόμωμα fuerit λευκόν i. e. album.

§. 24. Ex hisce jam facile quis colligere potest Ἐγκόμωμα fuisse *vile & non magni momenti vestimentum*, vestimentum, nempe hominum in dignitate, honore, & gloria non positorum, sed minoris momenti minorisque existimationis, uti sunt *Puella*, quibus togæ abjudicantur admissis parnacidibus, chlamydibus & Encombomatis, *Pastores*, quibus vilissima & maxime despecta tribuitur ætatem agendi ratio, nec non *Servi*, qui præ omnibus aliis contempti sunt & neglecti.

§. 25. Hæc itaque personarum genera, apud quas antiqua monumenta, quæ novimus, testantur ἐγκομβώματα fuisse usurpata, sequela necessaria evincunt tale vestimentum, quale erat ἐγκόμωμα nil nisi *humilitatem submissionem & sub aliis subjectionem* indicasse & representasse in iis, a quibus portari solebat; adeo ut quis jure merito posset opinari, nullum ornatum, nullum decorem, nullam vestitus elegantiam in ἐγκομβώματι fuisse ostentatam qua quis se supra alios efferret, sed
sum-

summam humilitatem, summamque submissionem, qua quis se longe infra alios submittebat.

§. 26. Hinc jam optime concludimus vocabulum ἐγκομβωμα accipiendum esse proprie quidem de *Puellarum, Pastorum & Servorum* vestimento, quod nodo constringi solebat, sed in specie & quidem metaphorice adhibendum esse de quocunque negotio sub Metaphora vestimenti humilitatem representante, quo quis innectitur & connodatur, imprimis si *virtus* fuerit.

§. 27. Hæc eo diriguntur L. H. ut τὸ ἐγκομβωμα explicemus, per *innectere & innodare* atque *illigare* talem rem, quæ cum hoc vocabulo ubicunque locorum copulatur & conjungitur, ut cuivis constet, illam cum altera re arctissime esse conjunctam.

§. 28. Exempli gratia, ut tandem aliquando præsentem Petri locum definiamus, noster scopus est, explicare Phrasin ἐγκομβώσατε τὴν ταπεινοφροσύνην per Latina Verba *innectite & innodate humilitatem* i. e. in mentibus vestris facite quasi foramina, & per illa agite ligamenta, ut illa quasi per nodos τὴν ταπεινοφροσύνην connodent in vobis & connectant mentium vestrarum partes separatas & divisas, ut per hanc ταπεινοφροσύνης innodationem semper & perpetuo sine ulla scissura aut ruptura conjunctæ & copulatæ maneant, & quidem quam maxime instituite talem connoda-

nodationem, ut *Servi, Pastores, Puella viles*
humilesque facere solent, ut sic semper vestra
 humilitas ubivis gentium, quotquot vivunt
 & victurae sunt, innotescat. Hoc meum
 monitum si rite sequimini, corruet omnis su-
 perbia & arrogantia, qua alius se supra alium
 efferre studet, atque ita discetis quanti sit
 momenti superbiam aspernari, & humilitatem
 ambabus ulnis amplecti.

§. 29. Alluisse Apostolum hoc in loco ad
amiculi decentioris alicujus, vel cultioris genus,
quod externum geri, nodoque NB. forsitan vel fi-
bula adstringi consueverat, purum putum erra-
 tum est Gatakerianum. Nam nihil absur-
 dius. Unde hoc forsitan? Unde illud *amiculū*
decentioris vel cultioris genus? annon ex ma-
 le perceptis Hesychii, aliorumque locis, quae
 manifesto sunt corrupta, & in quibus alia
 substituenda sunt vocabula?

§. 30. Castigandi quoque sunt Georgius
 Metropolita Nicomediae, Aliique Ipsum se-
 cuti, quando ex Graeca Republica Literaria
 relegatum volunt verbum *Ἐγκομβώσαδς*, ut
 minus genuinum & Graecum, ac quasi Bar-
 barum. Sed convincuntur Illi erroris per
 Apollodorum Carystium in *Ἀπολειπύση*, &
 Epicharmum, Graecos, Graecaeque Linguae
 peritissimos. Egregie hoc elucidatur a Pho-
 tio in epistola 156. ad Georgium Nicomediae
 Metropolitam data h. v. *Θαυμάζω μάλιστα, εἰ*
 κῆ

καὶ τοῖς γραμματικοῖσι καὶ ταῖς ἑπιπέτοις λέξε-
 σι μελέταις. τὸ ἔγκωμωσάσθαι βαρβάρων
 φωνῆς, αἰτῶν ἔχ' Ἑλληνικῆς λέξεσιν ἔδοξεν. ὁ μὲν γὰρ
 μακάριος ἢ κρυφαῖος Πετρεῖος, εἶδεν ὡς τὴν
 ἐκλογὴν τῶν Ἑλληνικῶν ὀνομάτων ἀπεδάξον, καὶ
 τὴν τοῖς ἑαυτῷ παρεῖληθε γραμμασιν, εἰ γὰρ ἡχώ πι-
 νω καὶ τέχνην ῥημάτων, εἰδὲ λέξιδίων ψόφον, καὶ
 κτύπον ῥημάτων, δι' ὧν τίνες τὰ τῶν μειρακίων ὑπο-
 γαργαλίζουσιν ὡς, καὶ κρότον ἑαυτοῖς ἐγείρουσιν ἐκεί-
 νων, αἰτῶν ψυχῶν σωτηρίαν τοῖς ἀκροαταῖς ἐδεί-
 ναι φροντίδα (sic legendum, non φορτίδα) εἰ-
 δετο. Ἐν δ' ἔν' Ἐπιχάρμω μάλιστα καὶ Ἀπολλοδώρῳ
 ἢ Καρυσίῳ, ἑσῶν μεμνημένον, ἐχρῆν περιπύσεσθαι
 μάλλον, ἢ δυσχεραίνειν τῇ λέξει. ὁ μὲν γὰρ πολλα-
 χῶς, καὶ κατὰ Διαφόρους ἐγκλίσεις σχηματίζων τὴν
 λέξιν ἐχρησάτο ταύτη. Ἐγκεκόμεσθα, καὶ ἀπα-
 ρεμφάτως ἔγκωμωσάσθαι. Ὁ δ' ἢ Καρυσίος ἐν
 Ἀπολειπέσῃ. (εἰρήσθω γὰρ εἰς τὴν σὴν χάριν καὶ ἡ
 χρῆσις.) τὴν ἐπωμίαν, (Pollux Aliique habent
 ἐπωμίδα. & quidem rectius) φησὶ, πύξασα δι-
 πλὴν, ἀνωθεν ἐνεκωμωσάμενη. εἰς ἐχρῆν ἀναλαμ-
 βάνοντα, μὴ βαρβαροφωνίας τὸν τῆς ἀληθείας κή-
 ρυκα αἰτιάσθαι. ὑπερβαυμάζειν δ' μάλλον, ὅτι καὶ
 τῆς τοιαύτης ἀπεδάξον, ὡς παιδιᾶς ὑπερορῶν. ὁ μὲν
 κατὰ τὰς τῶν Ἑλληνικῶν κελτὰς ὀνομάτων ἐστὶν εἰς
 τὰς ἑαυτῷ Ἰπσιλάς ἐξεδίδε διδῆς ἐκ τῶν τοιούτων
 ἐνοσῶν, ὡς εἶπερ ἔμελλεν αὐτῷ λέξιδίων ἡχώ ἢ τέρ-
 ψις, ῥάδιον ἢ ἀυλῶ καὶν τέτοις ὑπερβαυμάζεσθαι. ἢ
 εἴγε ψυχῶν τινῶν σωτηρίαν ἐκ τῆς τοιαύτης ἀπεδάξον
 περιέσσει συνεώρεα, ἴδης ἂν αὐτῶν τὰς λόγους, τῷ
 ἐμχύτῳ κάλλει, εἰ καὶ νῦν μέτοχοι πᾶσιν τῶν

Πλατωνικῶν ζητημάτων, καὶ τῆ Δημοσθενικῆς κρι-
 ψείας, καὶ τῆ Θεκυδίδεα μεγαλαφρημοσύνης, ἔχοντας
 τὸ ὑπερέχον, ὅσον τῶν Ἀσιακῶν (εἰ γὰρ ἂν ἠδέως
 εἶποιμι τῆ κακοζήλων Δίξ σε) τῆς Φασιν ὑπερ-
 κείσθαι, καὶ ἐνπύθεν. Ὁ γὰρ τὰ πολλῶν μείζονα καὶ
 ὑπερφυῆ λαβῶν, ἔπι σωτηρία τῶν ἀνθρώπων, εἰ
 κέρδιον ποιεῖτον ἐφύετο ἐκείθεν, ἢ ἂν εἶδεν τῆ μειρα-
 κιώδης τῆς ἔχων τὸ ἥττον ἐφάνη φιλοπυίας.
 ἀλλὰ καὶ τέτις, τὸ κατὰ πάντων κρείττον,
 καὶ χόρις ἀγῶνι, ἐδείχθη ἂν ἀναδηδαιγμέ-
 νον; h. c. ex Versione Richardi Montacutii,
 Norvicensis Episcopi: *Mirror sane, cum Gram-
 maticaster sis, ἔσ Poëtarum studio vaces, Tibi
 Ἐγκομβώσασθαι videri vocem Barbaram ἔσ non
 Grecam. Beatus ille, ἔσ Coryphæus Petrus, qui
 nullum in Græcarum vocum electione posuit studi-
 um, hanc suæ inseruit Epistole. Non ille Echo, aut
 artificium verborum, nec Syllabarum sonum, aut
 sonitum, unde quidam juventutis lenocinantur au-
 ribus, ἔσ applausum sibi concitant; sed salutem
 animarum, Auditoribus inserere curam habuit, Te
 autem decuit tui meminisse Epicharmi ἔσ Apollo-
 dori Carystii, eoque amplecti potius dictionem,
 quam illa offendi. Ille multoties ἔσ secundum va-
 rias formationes declinata voce utitur: ait enim
 ἐγκομβώσασθαι, ἔσ infinitivo ἐγκομβώσασθαι.
 Carystius autem in Apolipusa, seu desertrice, [co-
 mœdia sic dicta] (in tuam enim gratiam dicatur
 lectiois usus) τῶ ἐπωμίαν dicit πύξασσι διπλὴν
 ἄνωθεν ἐνεκομβώσασθαι. Hos in memoriam redu-
 cens, non oportuit Te veritatis præconem de voce
 Bar-*

Barbara insimulare, potius mirari, quod cum tale
 studium puerile contempserit Apostolus, nihilomi-
 nus juxta criticos dictionum suarum suas, nescio
 quo pacto, Epistolas exaravit. Hinc autem in-
 telligere dedit; quod si vocis sonitus & oblectatio
 arrideret, facile ipse feret vel in istis acquirere ad-
 mirationem: & si ex isto studio curave, salutem
 animarum resultare vidisset, vidisses ipsius sermo-
 nes insita quadam pulchritudine, cujus & nunc
 participant, in tantum transcendisse Platonis in-
 cantamenta, Demosthenis cincinnos, magnilo-
 quentiam Thucydideam, in quantum illi Asiaticos
 istos oratores superant: non enim in tuam gra-
 tiam licebit vocare eos affectatos. Patet autem,
 quod affirmo; nam qui longe majora & sublimio-
 ra ad hominum salutem procurandam suscipit, si-
 quidem exinde commodum accresceret, haud certe
 recusasset aliquid de puerili hâc ambitione possidere;
 verum & in illiusmodi ultra annos obtinuisse, &
 quidem sine certamine videretur. Heic videlicet
 L. H. Patriarcham Constantinopolitanum
 jure legitimo regerentem Gregorio Nicome-
 diae Metropolitæ Jus & fas, quo in Republi-
 ca literaria Græca fuit donatum & beatum
 verbum, ἐγκομβώουσαι. Nec immerito in
 scenam producitur Epicharmus & Apollodo-
 rus Carystius non solum Græci, sed usus
 Græcarum vocum peritissimi. Hi sunt au-
 diendi, non Gregorius, hujusque socii &
 sodales bardi & blenni, qui ex Rep. Litera-
 ria τὸ ἐγκομβώουσαι relegant, cum Petrus

verborum vocumque singularium fuerit iudex curatissimus & exactissimus, uti iudicavit Photius Epistola jam citata; & Illa vox non contineat lenocinia, offendicula, aliaque male interpretata, sed salutem animarum externam conservantia. Ast vero releganda sunt incantamenta Platonis, cincinnati Demosthenis, magniloquentia Thucydidea, quæ prorsus & omnino rigidum Photii animum in iudicio exercendo quam maxime representarunt. Verba itaque Photii in initio Epistolæ ὁ μὴ γὰρ μακάριος καὶ κερυφαῖος Πέτρος ἔδεν περὶ τῆς ἐκλογῆς τῶν Ἑλληνικῶν ὀνομάτων σκευδάζων, αὐτὴν τοῖς ἑαυτῶ παραέληφε γεγραμμένην. ἔ γάρ ἡχώ πινος καὶ τέχνην ῥημάτων, ἔδὲ λεξιδίων ψόφον, καὶ κτύπον ῥημάτων, δὲ ὧν τίνες τὰ τῶ μειρακίων ὑποκαρταλίζουσιν ὧτα, καὶ κρότον ἑαυτοῖς ἐγείρουσιν ἐκείθεν, ἀλλὰ ψυχῶν σωτηρίαν τοῖς ἀκροαταῖς ἐνδεῖναι φροντίδα ἐτίθετο, laudanda & maxime omni calculo sunt approbanda, verum scilicet rectumque exhibentia. Hæc si considero, prorsus ignoro, quare Gatakerus hoc vocabulum, Ἐγκομβώσμοθαι, insolens esse satis dixerit, Cinni sui pag. 107. & 110. Sed id minus curate, dum apud Epicharmum & Apollodorum Carystium legitur.

§. 31. Atquæ sic temeraria Crisis in repudiandis Novi Testam. Græcis vocibus redarguitur. Pro minus bene Græcis agnoscat Ille, & carpat, qui Græca monumenta bene voluit & evoluit, non aliorum opinionibus, ne-
scio

cioquo jure prolatis, sed proprio studio & curato examine per aliorum diligentiam statuminato suffultus & fundatus.

§. 32. Tandem aliquando examinandæ sunt versiones Virorum Eruditorum, quæ de hoc loco literis, quas novimus, sunt exarata. Primo nobis notandi sunt Interpretes, qui nimis generaliter hæc verba expresserunt, veluti Æthiops, qui *generalissime* modo vertit, & *omnes vos discite subicere vosmet ipsos*, nam in illis non exhauritur vis phraseôs ἐγχεμβώσαθε τῷ πενοφροσύνην, nam longe aliud quid est ἐγχεμβώσαθε, quam *discere semetipsum subicere*. Sic etiam minus curate vertit Vulgatus: *omnes autem invicem humilitatem insinuate* minus congruit cum ἐγχεμβώσαθε. Quin & Zegerus non recte percepit vim locutionis, vertendo illam: *humilitatem vobis circumdate, amplectimini*, nam in istis verbis non occurrit ista schesis, quæ latet in τῷ ἐγχεμβώσαθε. In quo luto etiam hæret Arabs, dum apud Ipsum legitur: *Amplectimini Humilitatem*. Propius ad verum accedit in Versione Erasmi, quam addit, *vobis fixam habete*, licet non prorsus ad fundum penetret. Non ita vero generaliter, sed specialius interpretari conantur Castalio, Beza, Belgæ Nostri, &c. quando relationem habent ad ornatum, qui quasi fuisset in τῷ ἐγχεμβώσαθε, cum tamen ille nullibi animadvertitur, uti antea vidimus. Verba Castalionis

hæc sunt: *Et omnes invicem obsequendo modestia ornami.* Ornatus heic quidem observatur, sed *nodus* non, in quo præcipua hujus vocis vis continetur. Huc etiam, licet non recte, alludit Beza: *submissione animi estote intus ornati.* Nullus ornatus in τῷ Ἐγκυβωσάδῃ. Circa hoc etiam Belgæ nostri: *Zyt niet ootmoedigheid bekleed/ in margine ponentes, of/ Ver- cierd/ hæsitant & dubii sunt: τὸ bekleeden/ vestire, amicare aliquo modo admittitur, quatenus ἔγκυβωμα fuit vestimentum, quo indui solebant. Sed τὸ Verrieren/ ornare nequaquam. Nodus enim, non ornatus est considerandus. Ad eundem lapidem offendit Remonstrantium, uti audiunt, apud Roterodamenses quondam Pastor Christianus Hartsoeker in sua N. T. Versione Belgica h. m. En weest innerlijc met ootmoedigheid ver- cierd. Huc etiam collineat Vulgatus Græcus Interpres, qui Belgas nostros sequitur, ver- tendo: σολιοθήτε τὴν ταπεινοφροσύνην i. e. or- natè induamini, q. stolati, *humilitate.* In qui- bus similiter *ornatus* deprehenditur, non *no- dus.* Hunc errorem etiam propinant Gatake- rus, Nuperique Belgico sermone Commen- tatores ad h. l. qui illum aliosque sine ulterio- ri examine simpliciter modò descripserunt. Omnium autem proxime ad vim vocis Ἐγκυ- βωσάδῃ accedunt Syrus; Henr. Stephanus, & Vatablus; Syrus habet: *Et stricte amiciamini**

unus erga alium, nam in τῶ, *strictè amicare* requiritur *connodatio*, sed *humilitas* hic etiam omititur. Henr. Stephanus ad nodum, vel saltem ad colligationem respicit h. v. *Modestia vos incingite*, quia in cingendo nodus est necessarius. Omnium tandem Clarissimus est Vatablus h. m. *Humilitatem animi vobis infixam habete*, id est, *arctè, seu nodis illigatam tenete*. Hic Nodus, & Coarctatio, quæ exigitur, dilucide representantur. Brevissima & Efficacissima nobis videtur Interpretatio; quam in principio posuimus, *Inodate Humilitatem*. In ea vis, quam ostendimus, & origo
 ἡ Ἐγκυβώουδου comprehenditur.

II.

*Iusti Martini GLÄSE-
NERI,*

Diatriba
de

DRACONE Insigni Re-
gum *Ægyptiorum.*

Ad illustrandum EZECH. XXIX.
XXX, XXXI, XXXII.

§. I.

Magnam Ægyptios cum antiquita-
tis, tum sapientiæ apud quascun-
que gentes famam esse consecu-
tos, Scriptores uno ore confiten-
tur. Antiquitatis vestigia sacra
scriptura, quæ *Pharaonis* Regis Ægypti tem-
pore Abrahami viventis Gen. XII. meminit,
prodit, quem omnium post Nimrodum pri-
mum memorat. Quid si originem hujus re-
gni ab ipso Chamo Noachi filio, quod pro-
inde dicitur terra *Ham* Ps. CV. 23. s. Mizrai-
mo Chami filio, unde מצרים vocatur, peti-
mus,

mus; Licet Phil. Couplet in Proëmiali Declarat. ad Confucium s. Scientiam Sinensem §. V. p. 74. Ægyptios à Semo Noachi filio ortum & originem suam traxisse, contendat. Hæc vetustatis fama illorum inflabat animos; Ita ut Herodotus L. II. c. 2. eos affirmasse, testetur: *Se primos omnium hominum extitisse.* Conf. Jac. Perizonii Orig. Ægypt. C. 1. *Mela de Situ Orbis L. I. c. IX.* Nec minor est fama sapientiæ quæ totum orbem personans omnes in admirationem rapuit gentes. In rebus autem proponendis modo quodam peculiari utebantur, sensus mentis, scientiam divinitatis & naturæ, quam habebant, sub variis figuris figmentisque allegoricis animalium ceterarumque rerum naturalium repræsentabant; Deo enim & naturæ inimicam esse quodammodo nimis apertam & nudam rerum illarum præstantissimarum expositionem opinabantur, referente Athan. Kirchero Oedip. Ægypt. T. II. Class. I. c. IV. p. 28. *Plutarchus Sympos. L. IX. p. 738. Tacitus Annal. L. XI. c. XIV. Brianus Waltonus Proleg. II. p. 7. 9. G. J. Vossius Etymol. ad voc. Hieroglyphica.* Hæc sapientia dicebatur *hieroglyphica*, non tam literas & voces, quam integros denotans sensus, sive ut Ammian: Marcellinus L. XVII. c. VII. *Singula, inquit, literæ singulis nominibus serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus,* Vid. Theoph. Spizelius de Re Liter. Sinens. Sect. V. p. 62. illosque,

qui huic scientiæ indagandæ incumbabant,
 vocabant *ιερογλυφες*, ut Cyrillus Alexand.
 L. IX, adv. Julianum ait: *Fuisse apud Ægyptios*
quosdam enigmatum magna industria & gravitate
*præditos, quos illi nominare solent *ιερογλυφες*,*
qui templis & obeliscis notas insculpebant, non vul-
garibus utentes literis sed aliis figuris rerum naturas
effingentes. Qui has figuras explicabat, voca-
 batur *ιερογραμματις*, illumque oportebat sci-
 reea, quæ hieroglyphica vocabantur teste
 Clemente Alex. L. VI. Stromat. *Vossio* Etymol. V.
Hieroglyphica. Huic studio maximè operam de-
 disse dicitur Hermes Trismegistus (quem pro-
 be ab Hermete Ægyptio distinguit Joh. *Selde-*
nus de Diis Syris Synt. I. c. I. p. 86.) Sacerdos
 Philosophus & Rex maximus Ægypti, quem
 autorem hujus scripturæ; neminemque inter
 ceteros mortalium in hoc literarum genere sa-
 gaciorum fuisse, scriptores testantur. Her-
 metem hujus literaturæ autorem extitisse do-
 cet Plato in Phædro T. III. Opp. p. 274.
 quem & Thautum s. Theuth vocat; Et Phi-
 lo byblius, qui Sanchuniatonis vetustissimi
 rerum Phœnicicarum Scriptoris historiam
 græcè versam Adriano Aug. obtulit, Thautum
 s. Hermetem Trismegistum symbolicæ litera-
 turæ primum Doctorem aperte docet apud
 Eusebium Præpar. Evang. L. I. c. VII. quem
 proinde autorem multorum librorum, ex
 quibus XXXVI. omnem Ægyptiorum phi-
 losophiam i. e. Medicinam, Astrologiam,
 Theo-

Theologiam & ritus sacros continere, faciunt, ut *Clemens Alexand.* L. VI. Strom. *Lactantius* L. I. Divin. Instit. c. VI. cujus autem genuinos libros jamdudum periisse & supposititios irrepsisse, tradit *Galenus* L. VI. de Simplic. Med. Facult. apud *Marshamum* Can. Chron. p. 243. sq.

§. 2. Hæc Ægyptiorum sapientia in toto orbe deprædicata magni nominis viros ad se traxit. *Jamblichus* C. I. de Mysteriis confirmat: *Pythagoram* & *Platonem* ceterosque Græciæ Philosophos suam philosophandi rationem ex columnis *Hermetis* s. *Mercurii* didicisse. Idem *Lactantius* L. IV. Divin. Instit. c. II. *Pythagoram* & *Platonem* amore indagandæ veritatis accensos, ad Ægyptios penetrasse testatur. *Augustinus* L. VIII. c. IV. de Civ. Dei. *Plato*, inquit, peregrinatus est quaquaversum, eum alicujus nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque & in Ægypto didicit quæcunque illic magna habebantur ac docebantur. Idem vult *Ambrosius* Serm. XVIII. in Ps. CXVIII. Conf. *Marsham.* Can. Chron. p. 154. In hac Ægyptiorum Sapientiâ & *Mosen* *Thermutis* cura tuisse institutum & eruditum testatur *Stephanus* Act. VII. 22. quam *Philo* in Lib. De Vita *Mosis* p. 6. aliam non fuisse dicit quam occultam philosophiam descriptam literis hieroglyphicis h. e. notis animalium, Conf. *Questiones ad Orthodoxos* (a)

quæ
(a) De auctore hujus libri confer eruditam differt.
Cel.

quæ Justino Martyri vulgo inscribuntur. Q. XXV. Hiuc sapientiam suam immodicè extollunt, inventionem omnium artium ac disciplinarum sibi tribuunt, unde Macrobio L. I. c. XV. Saturn. *Ægyptus mater artium* dicitur, & L. I. de Somno Scip. p. m. 64. *Ægyptii omnium Philosophiæ disciplinarum parentes* salutantur, quos secutus dicitur Plato, vid. Plutarch. de Iside & Osir. p. 352. Plinius L. VII. c. LVI. ac mysticis hieroglyphicorum interpretationibus admodum gloriantur, ut Origenes contra Celsum T. II. Opp. L. IV. p. m. 642. Ne miremur igitur symbola ac ænigmata Pythagoræ, qui ægyptias disciplinas non aliter capessere se posse censuit, quam si regionis hujus loquelam pernosceret, quam consuetudinem & morem Ægyptiorum deinceps secutus, ut Abrincensium Episcopus Pet. Dan. Huetius Demonst. Evang. Prop. IV. c. XII. §. I. p. 132. Ed. Paris. docet. Sic Cabbala Hebræorum mysticas & occultas Scripturæ S. continet explicationes & arcana divinitatis mysteria sub obscuris symbolorum & similitudinum umbris repræsentantur, ut Kircherus. l. c. T. II. Class. I. c. IV. p. 28. & Spizolius l. c. Sect. VI. p. 94. sq. & Reuehlinus de Cabbala L. III. ait: *Cabbala nihil aliud est, nisi, ut Pythagoricè loquar, symbolica Theologia, in qua non*

mo-

Cel. la Crozii quæ in hac Bibliotheca legitur. T. V. p. 656.

modo literæ ac nomina sunt rerum signa, verum res etiam rerum.

§. 3. Quæ symbolologia utut in se esset innoxia, cum a plerisque ignoraretur, magnam tamen protrudit Deorum multitudinem atque profanum quoque sub monstrosis Deorum simulacris numen colendi ritum peperit, judicante Henning. Bernh. *Wittero* Comment. in Genes. Proleg. §. 9. p. 6. & in superstitionem maximam prolapsi, proinde illorum cultus supersticiosissimus audit apud Origenem l. c. Contra Celsum L. III. p. m. 602. apud Macrobi. L. I. c. VII. Saturn. *Gens religiosissima*, apud Kircherum Prodomo Copt. s. Ægypt. p. 86. *Mater superstitionis* dicitur. Item Herodotus L. II. c. IV. *aras & simulacra & templa primos constituisse Ægyptios.* Vid. Conr. Sam. Schurzleisch. Diff. De Templorum Antiquitatibus §. II. *Lucianus de Dea Syria* p. m. 657. Ed. Amstel. *Primos, inquit, omnium hominum Ægyptios Deorum habuisse notitiam templaque iis ac lucos possuisse, quod Huetius l. c. Prop. IV. c. VI. §. 3. p. 80. sic interpretatur; Profani idolorum cultus & πολυθεοτητα autores Ægyptios extitisse.* Hinc Juvenalis Satyra, l. V. l.

*Quis nescit qualia demens
Ægyptus portenta colit? Crocodilum adorat
Pars hæc; illa pavet saturam serpentibus Ibin.
Effigies sacri nitet aurea Ceecophitheci.*

illis


*Illic Caruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur.*

In superstitionibus & vetustissimi habentur & eruditissimi, a quibus prope omnes reliqui ritum sacrorum & ceremonias mutuati sunt ut Huetius. l. c. Origenes in Ep. ad Roman. C. II. L. II. p. m. 359. *Witsius* in Ægypt. L. I. c. X. §. I. p. 50. docent. Supremum enim Numen cum eo animali, in quo quædam vis eximia elucesceret, comparabant, ex qua tot multiformes Deorum imagines & simulacra, multiplicem Dei virtutem diversis animalium proprietatibus denotantia, ortæ sunt, ut Kircherus Oedip. Ægypt. T. I. Synt. II. c. VII. p. 153. sq. f. ut loqui amat T. III. c. II. p. 16. *Quot conceptus rerum tot diversa respondebant signa.* Conf. Vossius de O. & P. Idolol. L. III. c. LXXIV. Mercurio Trismegisto (Arab. *أدريس* *Adris*) quem autorem hujus sacrae sculpturae faciunt; nunquam ejusmodi *πλοθεια* in mentem venit, quippe qui unum Deum eumque incomprehensibilem atque inestimabilem confessus, ut Cyprianus de Idol. vanit. p. m. 146. habet, sed in cerebro vulgi nata est.

§. 4. Hermes igitur Trismegistus sapientiae suae præstantissimæ hieroglyphicis figuris involuta medallam iis tantum aperiebat, quos ipse dignos aptosque judicabat, reliquis extra ordinis sacerdotalis cancellos positus corticem relinquebat, ne a plebejis ingeniis contaminaretur; Inde hieroglyphicæ
literæ

literæ sacerdotales apud Originem. l. c. In Ep. ad Roman. C. II. vocantur; Et sacerdotes etiam Prophetæ dicti, ut Macrobo. L. VII. Saturn. c. XIII. Conf. Bælii Diction. Histor. Crit. Art. *Antinous*. Hinc factum ut Reges Ægyptiorum, quos ex sacerdotibus quondam creatos legimus hujus symbolicæ scientiæ haud ignari essent. *Reges enim*, inquit Plutarchus de *Isid. & Osir.* p. 354. *aut e sacerdotibus aut e bellicosus legebantur. Cum hæc gens ob virtutem, illa ob sapientiam in honore & autoritate esset. Qui autem e bellicosus creabatur Rex statim se sacerdotibus dabat, ac philosophiæ fiebat particeps, pleraque fabulis occultantis ac sermonibus obscura veritatis indicia & argumenta habentibus*, Huic adstipulatur Athan. Kircherus. l. c. T. II. Class. I. c. IV. p. 27. *Ex bellatoribus, inquit, confestim in sacerdotem allegabantur & in consortium philosophiæ simul veniebant, ut hoc modo cum ex virtute tum ex sapientia dignationem & autoritatem suam haberent, quæ sunt decora quædam & ornamenta dignitatis regalis &c.*

§. 5. Ab his symbolis hieroglyphicis Regibus Ægypti haud incognitis, quæ ab antiquissimis temporibus apud Ægyptios, antequam literarum usus fuerit adinventus, viguere, originem insignium petendam esse ducimus, forsitan occasione belli inventorum, partim melioris ordinis causa in bello, partim mysterii ac arcani cujusdam sub isto symbolo s. insi,

insigni latentis. Novimus sanè Virum Ce-
 leberrimum Contr. Sam. Schurzfleischium Diss.
 De Nobilium Insignibus §. II. ab illorum parti-
 bus recedere, qui prima gentilitii moris ve-
 stigia apud Ægyptios extitisse, asserunt. Sed
 quod pace Tanti Viri dixerim, insignia in-
 ter hieroglyphica esse referenda liquido con-
 stat; hieroglyphica vero apud Ægyptios primo
 in usu fuisse ex §. I. didicimus; Quid igitur
 obstat, quo minus & originem insignium ad
 Ægyptios referamus. Aliam adhuc affert
 rationem Diodorus Sicul. Biblioth. L. I. cap.
 LXXXVI. qui diserte dicit: Ægyptios, cum
 ob confusionem saepe à vicinis fuissent victi, dein
 excogitasse, ut signa cohortibus præferrentur, atque
 animalium, quæ nunc colunt imagines Sauniis, quod
 haste genus est, affixas ducibus gestandas commis-
 sisse. Unde victoria ordinis beneficio obtenta, anima-
 libus illis veneratio, inque numerum Deo-
 rum relata. Hac ratione Henr. Spelmannus
 Aspilog. p. 4. inductus ut nostræ sententiæ
 assentiatur. Signa fuerunt in bello vel voce
 & verbis vel vexillis aut alia quæcunque re-
 militibus data, ne dissipentur & ab hosti-
 bus ob ἀταξίαν ac confusionem in fugam ver-
 tantur, unde Hesiodus ἀσπιδ. v. 385. σημα π-
 θεϊς πολεμοιο signum belli edens. Eodem modo
 vocem  Gen. XI. 4. per signum explicare
 licet; Quod ut Aquila legionem romanam
 in acie: Sic turris esset signum quod homi-
 nes per pascua vagantes colligeret in unum
 & pro-

& proprium sibi locum & pluribus prosequitur *Perizonius*, Orig. Babyl. c. XI. p. 194. sqq. Signa ista ab animalibus desumpta præ reliquis erant nobilia, habebantque sub se latentem sensum; Sic Equus Oro s. Horo Isis & Osiridis filio erat symbolum velocitatis, fortitudinis & audaciæ apud Bochartum Hieroz. P. I. L. II, c. IX. p. 170. Erat etiam symbolum fortis ad bella viri & animi imperterriti; ob id Roma equum inter militaria retulit, & gentili superstitione Marti & Neptuno consecravit, ut *Phil. Jac. Spener Ope Herald. P. I. Sect. III. Memb. II. p. 246.* Non autem inmorabimur aliorum sententiis de origine Insignium recensendis; An a filiis Sethi & Caini s. Noachi; An ex heroicis temporibus, vel ab Assyriis, Pictis, Caribus, Trojanis, Romanis, antiquis temporibus, bellis Christianorum adversus Mauros, Italis, Longobardis, Carolo M. Heinrico Aucupe, Frederico I. vel transmarinis expeditionibus ortum trahant, quo labore defuncti sunt *Lud. Morerius Diction. ad voc. Armoires s. Armes. Joh. Linnaeus Jur. Publ. L. VI. c. VI. §. 8. sqq. p. 187. sq. Spenerus l. c. P. I. cap. II. p. 40. sqq.*

§. 6. Effigies animalium olim non nisi à Principibus civitatum & Ducibus exercituum. fuisse gestatas adnotavit *Cluverius L. I. Ant. Germ. c. XLIV. & Harsdorffer Colloq. P. VII. coll. 250. p. 87.* imagines animalium in *Class. VII. Fasc. VI.*

mis olim militibus, aliis vero alias figuras esse traditas affirmat apud Spenerum l. c. P. I. Sect. III. p. 208. Harum originem nonnulli ad Osiridem referunt, qui magnum exercitum suum in certas cohortes atque centurias divisisse, ac singulis vexillum animali aliquo insignitum tradidisse dicitur teste Plutarcho de Isid. & Osir. p. 379. idem testatur Diodor. Sic. L. I. c. XVIII. Cui rei perficiendæ postea manus adjutrices dedit Sesostris, qui militari ordini leges instituit omniaque ad militiam pertinentia pulcherrime disposuit. Inter hæc animalia præcipue eminebat Draco, qui erat Insigne Principatus apud Ægyptios, uti Diodor. Sic. L. I. cap. LXII. disertè tradit: *Ægyptios Leonis, Tauri Draconis* *πρωτοιας* tanquam Principatus & Regiæ Potestatis Insignia adhibuisse: Et Prudentius *πρὸς Σεφάκων* Hym. I. v. 34.

*Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis:
Proque ventosis Draconum, quos gerebant, palliis,
Præferunt insigne lignum, quod Draconem subdidit.*

Ubi Iso Magister: *Draconum: quia vexilla Regum erant in modum Draconum vento in se recepto; Idem Prudentius contra Symmachum L. II. v. 712. Prima hasta Draconis. Draco autem erat symbolum fortitudinis, terroris hostibus injiciendi causa, quo viso hostibus terrorem incuterent ut Plutarchus de Is. & Osir.*

Osir. p. 380. testatur hinc ait Hesiodus αἰνιδ.
vers. 144.

Εν μέσσω δὲ δεικνύοντο ἐνυ φοβῶν ἐν φάλαγγι
In medio autem Draconis erat terror haud qua-
quam effabilis.

Affirmat idem Diodor. Sic. l. c. *Reges Aegypti*
insigne Draconis gestare solitos ut stuporem alius in-
dicerent. Spelmannus apud Spenerum l. c.
P. I. Sect. III. Memb. IV. p. 256. allegat locum
ex MSCto de bello, ubi dicitur: *Rex Henri-*
cus III. Leivense praelium ingreditur precedente
Dracone rubeo, qui mortem generalem adversa-
riorum portendebat; Et Matth. Paris. anno
1257. ubi de ipsius Henrici contra Wallen-
ses bello: Animans suos milites quotidie arma-
tus incessit, & vexillum suum regale explicans,
quasi Draco qui nemini novit parcere, exterminium
generale Walliae minabatur. Conf. Carol.
du Fresne Gloss. Med. & Inf. Latin. v. *Draco*
Ex his dictis satis ac abunde constat, insi-
gnia natales Aegyptiis debere, Draconem
fuisse praecipuum inter insignia Regum Aegy-
ptiorum sensumque sub hoc symbolo laten-
tem satis fuisse nervosum.

§. 7. Insignia ista publica & privata in
prima antiquitate varia & diversa fuere, nec
eadem semper conservata pro cujusvis ar-
bitrio. Sic Aegyptus Crocodilo, etiam &
Serpente fuit insignita praeter istud Draco-
nis. Idem saepe homo in antiquis tempori-
bus mutabat scuto inscriptam figuram, &

eum nunc ita placuisset, nihil prohibebat, quo minus ex alia causa aliam adsumeret. Osiris modo sole, modo Aquila utebatur. De Cete græcis *Proteo*, qui tempore belli Iliaci in Ægypto floruit, fabulæ narrant apud Homerum *Odyss.* 8. v. 455. sqq. & Ovidium *L. VIII. Metamorph.* v. 6. sqq. Illum potuisse in varias quam plurimas mutare se formas, quia pro Insignibus Regni adhibuerit variorum animalium æque ac aliarum rerum formas capiti circumdatas vel impositas, de quo versus:

Principio visus speciem subisse Leonis

Mox aper inde Draco fieri, fera pardalis
inde,

In latices etiam se vertit, & arbore formam
Mutavit præscam, ramis ac frondibus alta.

Causa non improbabilis allegatur, eum insignia frequenter mutasse. E contrario habemus exempla signorum ad posteros transmissorum: Ut Spartiarum gens Thebis Dracone utebatur, qui erat gentile insigne *V. Spennerus. l. c. P. I. c. II. pag. 46. sq.* Draconem olim insigne Principatus ac Majestatis Regiæ apud Ægyptios fuisse, præter rationes §. præced. adductas confirmant etiam Sinenses, qui usque in hunc diem Draconem, (b) ut
Insi-

(b) At vero non Draconem, sed Crocodilum esse, quem in suis insignibus habent Sinensium Reges, paene
ces-

Insignia Regiæ Potestatis adhibent. Constat enim ex Plutarcho de Is. & Osir. p. 356. Diodor. Sic. L. I. c. XIX. Kircheri China Illustr. P. III. c. III. p. 147. & Oed. Ægypt. T. III. c. II. p. 16. Prodr. Copt. s. Ægypt. l. c. Huetii. l. c. Prop. IV. c. VI. §. 3. p. 80. Sinenses ab Ægyptiis descendisse, a quibus festa, solennitates, sacra, figuras & characteres ex variis rebus naturalibus constantes mutuati sint. Phil. Couplet in Proœm. Declarat. ad Confucium s. scientiam Sinens: §. IV. pag. 71. in contrariam abit sententiam, antiquitatem

Sss 3

Sinen-

certum est. Idque se ex Francisci Dialectico Sinensi Manuscripto didicisse olim ad me scripsit eruditissimus La Crozius. Atque ex hac observatione non parum confirmor in ea sententia, quam ingressus sum dudum, Sinenses ex Ægyptiis originem suam trahere. Id enim multa alia docent, quæ inter se communia habet utraque natio. Sic Medici Sinenses ciconiam acu pictam in vestibus gestant, quæ exhibere nobis videtur Ægyptiorum Ixim, quam illi medicinae dicebant repertricem. Historia Mycerini quæ apud Herodotum legitur, in Sinensium quoque annalibus de Rege quodam eorum narratur. Sinarum provinciae, ut olim vetus Ægyptus, fossis suis & canalibus interciscæ sunt. Illud, quod Marcellinus narrat de Ægyptiis *singulas literas singulis nominibus servire, & verbis significare integros sensus*, apud Sinenses locum habet, neque apud populum alium. Eaedem scientiæ quas excolere Ægyptii, in delitiis sunt populo Sinensium. Et quæ plura hujus generis alia sunt, alias fortassis pluribus excutienda. T. d. H.

Sinensium ex scribendi ratione hieroglyphica
 Ægyptiæ persimilimum extendit; *Cur non
 inquit, potius Ægyptios a Sinensibus, qui aliquot
 seculis præcesserunt, quam ab Ægyptiis Sinenses ori-
 ginem trahere debere contenditur?* Dubium hoc
 §. 1. jam removimus, ubi vetustatem regni
 Ægypti præ Sinensi adstruximus. Autorem
 ac Conditorem Sinicæ gentis faciunt *Fohi*,
 qui coepit imperare ante Christum anno 2952
 Conf. *Neuhoff* in *Descript. Regni Sinæ* p. 364.
 & Draconem gentis Insigne esse voluit, quod
 deinde *Vu vam* tertiæ familiæ fundator au-
 xit ut esset quinq; unguium pro solis Impera-
 toribus, ut *Phil. Couplet* in *Præf. ad Tab. Chron.*
Monarch. Sin. p. 20. scribit. Conscriptit quoq;
Fohius librum de rebus mathematicis & astro-
 logicis, qui *Draconum liber* appellatur, ut
Spizelius. l. c. Sect. IV. p. 52. sq. ob chara-
 cteres ex serpentibus & Draconibus confectos.
 Inde adhuc non solum in veste regia sed &
 in palatio universo vasisque argenteis aure-
 isque & reliqua supellectili Dracones vel cæ-
 lati vel depicti visuntur, quin ipsa etiam te-
 cta ac tegulæ flavum colorem (qui color Re-
 gis dicitur solisque Imperatoribus permissus
 ab *Hoam ti*, qui flavus Imperator interpre-
 tatur, sub quo Majestas Imperii coepit ante
 natum Christum 2697. derivandus, ut *Phil.*
Couplet *Tab. Chron. Mon. Sin.* pag 1.) &
 Dracones spectandos exhibent, ne quid in re-
 gio palatio, quod colorem regium non præ-
 ferat,

apparet. Si quis eum colorem aut Dracones in proprios usus adhibeat, is utique ceu perduellis pœnis subjacet, nisi forte regio sanguine sit prognatus, inquit Kircherus China Illustr. P. II. c. IX. p. 114. Hinc Reges Sinenſium cum legatos audiunt, in vaſti Draconis ſimulacrum ſe includunt è que fenestella vitrea non viſi ipſi auſcultant ad metum & Majeſtatem conciliandam ut Spizelius l. c. Sect. V. p. 77. Les Lettres Choiesies de l' academie françoise p. 329. in deſcript. Chinae de Juvene quodam Indo, forſan ex regia ſtirpe orto, Regi Galliae Verſaliis quondam exhibito, eadem referunt: *L' on en amena un jeune Indien, qui eut l' honneur de faire la reverence au Roi a Verſailles. Il etoit vetu d' une riche veste de brocard d' or, a fond bleu, avec des figures de Dragons, & une tête affreufe sur le haut de chaque manche.*

§. 8. Hunc morem inſigniũ etiam vexillis inſectorum forſan Iſraelitae, Græci & Romani inſecuti, ut J. A. Rudolphi in Herald. Curioſa p. 2. contendit. Credit Spelmanus Aspilog. p. 4. Iſraëlitas ab Ægyptiis, ut vituli cultum, ita inſignium morem petiſſe; Ita ut in vexillo Ruben fuerit depicta figura hominis; vexillum Judæ habuerit figuram Leonis &c. ut Witſius in Ægypt. L. II. c. XIII. §. 17. pag. 160. ſchemata vero exhibet laudatus Spenerus in Opere Heraldico. Signum Draconis plurimis nationibus in deliciis fuit. Sic Dra-

cones apud Indos Equitum turmis erant loco vexilli, ut Suidas, v. *Ἰνδοί*. Inter Persarum signa Dracones fuere; nec absimile fuit vexillum Scytharum, quod eleganter ac fuse describit Suidas, v. *σκυθαί*. Conf. Franc. Junium de *Pictura Veterum* L. II. c. VIII. p. 97. Joh. Jac. Hoffmann. Lex. Univ. v. *Draco*. Item Dracones Romanis inter signa militaria fuere; quos Germanis, Illyriis, Gallis reliquisque militibus peregrinis, & barbaris quos Draconibus comparabant, præferri jubebant, unde vox Draconarii qui signa portant, Diction. Etymol. par Msr. Chastelain v. *Dragons*. Vossii Etymol. v. *Draco*. Vegetius de *Re Militari* Henr. Cocceji Prud. Jur. publ. cap. XIII. §. 4. sq. p. 243. Draconem etiam habuerunt Lacedæmonii, Gothi, Vandali, Slavi &c. Spenerus. ll. cc. Item Byzantini occidui Augusti, Saxones. In Anglia Draconis effigie insignitum vexillum ab ineunte fere regni origine ad hæc usque tempora præcipuum inter regalia signa habetur. Imo omnibus pene nationibus familiare videtur fuisse ejusmodi Draconis vexillum, quæ omnia copiosius deduxit Carol. du Fresne. l. c. Obiter hic mentionem facimus ordinis *Draconis* in honorem sancti Georgii ab Imperatore Sigismundo 1418. finito Concilio Constantiensi instituti, pietatis & affectus contestandi causa contra errores Joh. Hussi & Hieron. Pragensis, quo tanquam alter Georgius, Dracones Ecclesiam oppugn-

gnantes se suffocasse, denotare voluit, & Joh. Limnæus Jur. Publ. L. VI. c. II. §. 49. & in add. ad l. c. Diction. Univ. Ant. Furetiere. v. Dragon. it. Lud. Morerius. v. Dragon. Le Grand Diction. des Arts ibid.

§. 9. Videbimus an hæcenus dicta ad locum Ezechielis illustrandum quædam conferant, & ad Regem Ægypti tempore Prophetæ viventem quadrent. Ægyptus erat regio fertilissima & in amœnissima atque præpingui tellure sita, proferens, quæ ad usum & delectationem corporis & animi conducebant, omnibusque pretiosis rebus abundans, unde Chaldæo ad Jer. XLVI. 20. *מלכות יפא* regnum speciosum, inclytum dicitur. Srabo L. XVII. ait: *Etiam aëris temperies memoratu digna est.* Herodotus L. II. c. XXXV. paucis omnem gloriam ac splendorem regni complectitur, dicens: *Plura quam omnis alia regio mirabilia habet, & præter omnem regionem exhibet opera relatu majora.* Divitiæ Ægypti fuerunt immensæ, & Salomonis Divitiæ, si cum divitiis Ægyptiorum, comparentur valde exiguæ, ut ex sumtuosis illis monumentis innumerabili auri argentique copia exstructis, ex sumtibus in structura Pyramidum & Obeliscorû statuarumq; erectione expensis constat. Hinc facile colligendû Ægypt. magnam habuisse multitudinem incolarum & urbium. Multitudinem populi perspicere licet ex innumerabili exercitu Regis Ægypti Sisaci, exteris scriptoribus Asychis s. Sefon-

ehis s. quod Jac. *Perizonio* Orig. *Ægypt*, cap. XIV. p. 224. sqq. probabilissimum Smedes vel Semendis, qui teste autore 2. *Chron.* XII. 2. sq. ascendit cum curribus 1200. & equitibus 6000. contra Hierosolymam & populo innumero. Conf. 2. *Reg.* XVIII. 24. *Es.* XXXI. 1. 3. Proinde *Cant.* I. 9. cum Pharaonis equis curribus confertur decor *Ecclesiæ*. In hoc florentissimo regno multæ quoque numeratæ urbes, ut sub Amasi Rege 20000. urbes habitabiles in co fuisse dicantur *Herodotus* L. II. c. CLXXVII. *Pomponius Mela* l. c. L. I. c. IX.

§. 10. Hæc tellus, hæc opes, hæc multitudo populorum ac urbium potentissimos quoque reddidit Reges, autoritatem, dignitatem, splendorem ac Majestatem illis conciliavit magnam, ut facile illis fuerit reliquas debellare gentes ac Imperium totius orbis affectare. De Victoriis, Osiridis Regis *Ægypti* testatur columna ipsi erecta, cui hæc inscripta leguntur: SVM VERO OSIRIS, REX ILLE, QVI EXERCITVM DVXIT IN OMNEM REGIONEM VSQVE AD INHABITABILES INDORVM TERRAS, ET AD ARCTVM VERGENTES PLAGAS, VSQVE AD ISTRI AMNIS FONTES, ET PORRO AD CETERAS TERRÆ PARTES, OCEANVM VSQVE apud *Diodor. Sicul.* L. I. c. XXVII. Non unum autem potentem vidit *Ægyptus* Regem, plures adhuc dantur. Quis ignorat feli-

felices progressus Regis Sesostris ? qui totam
 Asiam subegit, Gangem fluvium transiit, In-
 diam ad Oceanum usque permeavit totam &
 Diodor. Sic. L. I. c. LV. Herodotus L. II. c.
 CIII. *Sesostris, inquit, magnum habens exerci-
 tum peragrabat continentem, gentes omnes obvias
 subigens, donec ex Asia in Europam transgressus,
 Scythas subegit & Thracas ubique stolas erexit cum
 inscriptione nominis sui & patriæ, & ut viribus
 suis illas subegerit.* Herodotus L. II. c. CVI.
 testatur se quasdam in Syria Palæstina vidisse.
 Inscriptionem sacris Ægyptiorum literis exa-
 ratam habemus apud Diodor. Sic. L. I. c. LV.
**HANC REGIONEM SVIS ARMIS DE-
 VICIT REX REGVM ET DOMINVS
 DOMINORVM SESOSTRIS.** Eheu quan-
 ta verba! Nota sunt monumenta ab hoc Re-
 ge extracta, quæ juxta Marshamum Can.
 Chron. p. 417. non tam Regis ipsius quam
 Majestatis Ægyptiacæ testimonia. De hoc
 Rege ditissimo audiatur Herodotus L. II. c.
 CXXI. *Cui tanta fuit vis pecuniarum quantam ne-
 mo insequentium Regum porro equare nedum supe-
 rare potuerit.* Viri Magni ut Marshamus l. c.
 p. 22. Bochartus Phaleg. L. IV. c. XXXI. &
 Hieroz. P. I. L. II. c. IX. p. 168. Stillingfletus,
 Scaliger &c. hunc Sesostridem Herodoti esse
 ipsum Sisacum Sacræ scripturæ, 2. Chron. XII.
 contenderunt ac pro confirmanda sententia
 Josephum Ant. Jud. L. VIII. c. IV. huic sen-
 tentiæ addictum allegarunt, quem tamen ab
 hoc

hoc errore absolvit & istos Magnos Viros
 sphalmatis accusavit *Perizon*. Orig. *Ægypt*. c.
 VIII. p. 107. sq. illiusque ætatem ad tempora
 Judicum & forsan ad tempus servitutis Cana-
 nææ esse referendam docet. l. c. c. XVI. p.
 275. Et quoniam Reges Aegyptiorum ple-
 rumque binomines vel trinomines reperti sunt
 juxta Syncellum p. 63. Sesostridem nomine Ra-
 messis s. Rampsinus vel Rhamsis, de quo
 Tacitus *Annal.* L. II. c. LX. venire, probat
 laudatus *Perizonius*. l. i. CXVI. p. 299. sqq.

§. II. Ad recentiora progrediamur tem-
 pora, ibi Psammetichus se offert, qui patriam
 a tyrannide liberavit & Monarchiam restituit.
 Hunc excipiat Apries ab Herodoto & Diodo-
 ro ita dictus, ab Africano autem, Eusebio,
 Syncello, Vaphres, Jer. XLIV. 30. Pharao
 Hophra, Ezech. XXIX: 3. simpliciter Pha-
 rao, cui Herodotus XXV. Diodorus XXII.
 Africanus XIX. Eusebius XXX. & Syncellus
 XXXIV. tribuit annos. Fuit Rex valde po-
 tens & felix adeo ut Herodotus L. II. c. CLXI.
 tradat: *Fuisse felicissimum omnium ad eam ætatem
 Regum; Et c. CLXIX. illum credidisse adeo se
 valide formatum habere regnum ut neque Deus
 quisquam illud sibi eripere posset.* Hic instructissi-
 mis terra marique copiis Sidonem vi cepit,
 aliasque Phœniciaæ urbes terrore subegit, &
 ingenti pugna navali Phœnicibus & Cypriis
 devictis cum magna spoliorum vi in Ægyptum
 reversus est, uti tradunt Diodor. Sic. L. I. c.
 LXIII. Herodotus L. II. c. CLXI. Illæ po-
 ten-

tentia suæ cónfusus Majestatem avitam præ
 se ferebat; omnia sibi vendicans reliquas
 gentes, susque deque habens, omnibus terribi-
 lis & terrorem incutere studens, omnibusque
 insidias struens juxta illud Homeri Iliad κβ v:
 93. 199.

ως δε δρακων επι χειη ορεσερ^θ ανδρα με-
 νησι
 βεβρωκως κακα φαρμακ' εδυ δε τιμιν χολος
 αιν^θ,

σμερδαλεον δε δεδορκεν ελισσμεν^θ ωει χειη^θ
 ως εκλωρ ασβεσον εχων μεν^θ μη υπεχωρει,
 πυργω επι προυχοντι φαεινην ασπιδ' ερισας:
 οχθους δ' αρα ειπε προς ον μεγαλητορα θυ-
 μον.

Ut autem Draco in lustro montanis virum ex-
 pectat,

Pastus mala venena, subiitque ipsum ira gravis:
 Torvumque tuetur convolvens se circa latibu-
 lum:

Sic Hector inextinguibile habens robur, non
 cessit,

Turrim ad prominentem lucido scuto acclinato,
 Indignabundus vero dixit ad suum elatum ani-
 mum.

Huic Deus peculiari quodam dicendi genere
 mortem, regno autem ac terræ ipsius desola-
 tionem ac vastationem minatur.

§. 12. Caput XXIX - XXXII, Ezechielis
 de-

denunciant & Regis & regni Ægypti interitum, ut non uno eodemque tempore, sic nec iisdem sed diversis loquendi formulis; omnes autem eò collineant ut terminum sibi præfixum attingant. Conscriptores Prophetiarum non semper ordinem ac seriem temporum observarunt sed ratione materiæ sæpius res disposuerunt. Sex diversis temporibus Prophetiæ de Excidio Ægypti, quarum quædam ante, quædam post destructam Hierosolyman, quædam brevi ante ipsam destructionem Ægypti, editæ. Juxta seriem temporum ita essent collocandæ numerando a deportatione Jechoniæ 1) C. XXIX. 1-16. 2) XXX. 20-26. 3) XXXI. tot. 4) XXXII. 1-16. 5) XXXII. 17-32. 6) XXIX. 17-XXX. 19. Quælibet periodus magnificentiam aliis verbis depictam exhibet, illam vero sublatum iri prædixit. Prima periodus ante destructam Hierosolyman Regem Ægypti sub forma Draconis sistit C. xxix. 3-16. Hæc dicit Dominus Deus: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluvius & ego feci memetipsum &c.* Scopus noster non est, aliorum doctas commentationes examinare, sufficit, fundamenta nos §. VI. posuisse, quibus reliqua superstruere facile erit. Vocabulum פֶּאֶן (c) denotat *draconem & cetum*, sumitur etiam

(c) De hac voce copiose egi in tractatu de Leviathane Jobi

etiam pro quovis serpente Exod. VII. 9.
 Hanc autem vocis תנין significationem non
 quadrare in præsens Ezechielis vaticinium, vi-
 dit Magnus Bochartus Hieroz. P. II. L. V. c.
 XVIII. p. 795. Neque explicatio vocis *bala-*
na locum habet, quia, inquit Bochartus. l. c.
balana nec pedes habet nec squamas, nec versatur in
Ægypti rivis & fluminibus, nec inde adscendit in ter-
ram, nec retium indagine cingitur. Aliam igitur
 ingressus viam & per *Crocodylum* explicuit, quos
 teste Diodor. Sic. L. I. c. XXXV. alit Nilus
 Conf. C. Jul. Solini Polyhist. c. XXXV. &
 Pompon. Mela l. c. L. I. c. IX. *Crocodylum* in
 scriptura. S. diversa sortiri nomina, & a Jo-
 bo c. XL. 20. vocari *Leviathan*, l. c. P. I. L. I.
 c. VII. p. 52. Porro Pharaonis nomen in
 arabicis *Crocodylum* denotare quod Josephus
 Ant. Jud. L. VIII. c. VI. Regem exponit. Sed
 fatente ipso Summo Viro non omnia, sed
 pleraque solummodo in *Crocodylum* quadra-
 re videmus ex loco paulo antea cit. Liceat &
 nobis nostram de hoc loco proponere senten-
 tiam. Propheta Majestatem Ægypti descri-
 bens utitur vocabulo תנין הגדול *Draconis*
magni respiciendo ad signum Principatus Ægy-
 pti, quem olim effigie Draconis ad incutien-
 dum aliis terrorem designarunt. Conf. Ra-
 schius ad h. l. תנין, non simpliciter denotat

Dra-

c. III. neque me nondum pœnitet ejus sententiae,
 quam ibi plus semel proposui, in hoc Ezechielis loco
 per תנין intelligendum esse *crocodylum*. T. d. H.

Draconem, sed quoque *vexillum cum effigie Draconis* ut Thomas de Sacra Quercu in Lex. Philol. v. *Draco*; Et Claudianus Carm. X. v. 191.

procul igneus horror
Thoracum, gladiosque tegat vagina minaces,
Stent bellatrices aquila, seivique Dracones
Fas sit castra meis hodie succumbere signis.

Ubi Gulielmus Pyrrho: *Dracones*, inquit, *signis insculpti* Conf. eundem ad Carm. V. v. 365. it. Carm. VIII. v. 544. &c. Sic naves nomine *Draconis* insigniuntur, quæ *Draconem* pro *Insigni* habent: Ut apud Plutarchum Lib. de Virtutibus Mulierum p. 247. pirata Chimarrus a Bellerophonte occisus *επλει τωλοιω λεοντες μεν εχοντι προραθεν επισημον, εκ δε πρυμνης δεξυοντες* navi vehebatur quæ in proa leonem & in puppe *Draconem* habuit pro insigni; Et apud Euripidem in Iphigenia in Aulide p. m. 466. Bœoticis navibus pro signo fuit Cadmus *χρυσεον δεξυοντ' εχων* aureum habens *Draconem* in navium rostris, Vid. Bochartus Hieroz. P. II. L. III. c. XIV. p. 434. Sic Propheta sub nomine *Draconis* intelligit Regem Ægypti, qui *Draconem* tanquam signum Principatus & Majestatis pro *Insigni* habuit. Minatur autem Deus non Regi solum sed & ipsius regno ac populo devastationem & ruinam, exprimendo gloriam Ægypti per Nilum, qui pinguedine sua irrigabat terram & fertilem reddebat, cui Rex maxime confisus. Subditos per pisces exponit &

& sic totalem Ægypti interitum innuit. Fertilitas enim terræ & multitudo incolarum conciliabat Regi tantam auctoritatem ac Majestatem, ut universis populis esset terrori. Quem Principatum certissime destructum iri Propheta claris proponit verbis v. 14. sq. *Erunt in regnum humile. Et inter cetera regna erit humilimum, & non elevabitur ultra super nationes & imminuam eos ne imperent gentibus.*

§. 13. Secunda periodus Cap. XXX. 20-26. continet vaticinium de exstirpanda Ægypto adhuc ante Hierosolymam destructam, & magnam potentiam Regis Ægypti aliis prorsus delineat verbis. Hanc potentiam scitè etiam depingit Regius Psaltes Ps. LXVIII. 31. Regem Ægypti cum fera calami, duces Ægyptiorum cum tauris & populum cum vitulis comparans. Raschius Esavum per *feram calami* vult innui חַיַּת קֵנָה הוּא עֵשׂוֹ שְׁנַמְשָׁל חַיַּת קֵנָה הוּא עֵשׂוֹ שְׁנַמְשָׁל *Fera calami*, inquit, est Esau qui comparatur cum porco sylva qui inter calamos habitat; Sed juxta Chaldaëum convenientius ad Regem Ægypti applicatur, statim subjungens duces Ægypti, qui conferuntur cum tauris, quo nomine in Scriptura S. denotantur homines feroces & potentes Job. GXIV. 22. אַבְיָרִים qui multum inter homines possunt; Sic Virgilius Æneid. L. III, v. 528.

Dii maris & terre tempestatumque potentes.

i. e. Præsides & Domini. Hoc ipse Propheta Ezech. clarius explicat v. 21. sq. Tertia periodus Cap. XXXI. tot. præcedit adhuc destructionem Hierosolymæ, & magnificentiam Ægypti sub pompa Assyrii adumbrat, qui quasi Cedrus in Libano, cujus altitudo elevata super omnia ligna regionis, ita ut cedri in paradiso Dei non altiores exstiterint. Sed quia cor ipsius erat elevatum, tradidit illum Deus in altitudine sua in manus fortissimi gentium. Idem fatum Regem Ægypti multitudinemque populorum ipsius manere prædicit Propheta. Quarta periodus C. XXXII. 1-16. post destructam Hierosolymam repetit ea quæ prima periodo prædixerat quibusdam immutatis alludendo iterum ad Insigne Principatus & Regni, nempe Draconis quo terribiles ab omnibus videri volebant. Ad majorem emphasin connectit Draconem cum Leone ob robur, magnificentiam & Imperium super reliquas gentes affectatum & terrorem aliis injiciendum juxta illud Hesiodi *ασπιδ. v. 175.*

Κεῖατο τεθνηωτες υπο βλοσυροισι λεεσι

Jacebant mortui sub terribilibus leonibus.

Conf. Jes. XXX. 6. Leonem enim communiter ferarum Regem constituunt. De Belgicis Proceribus referunt, plerosque cum expeditionem orientalem ingrederentur, hoc sibi *δειγμα* sumsisse, sed aliter aliisque coloribus pictum. Sic Hoëping de Jure Insignium apud Spenerum l. c. P. I. Sect. III. Memb. II.

p. 228. Agamemnoni leonem tribuit cum hoc lemmate: $\alpha\tau\theta$ $\mu\epsilon\nu$ $\phi\omicron\beta\theta$ $\epsilon\sigma\iota$ $\beta\omicron\lambda\omega\nu$. Sic Leonem & Draconem cum aquila supravolante conjungere Saxones, ut Hœping. l. c. Aliam adhuc denominationem habemus Ezech. XVII. 3. ubi cum Aquila comparatur, Regem avium, qui Imperium in aves obtinet, & toto habitu corporis regiam quandam Majestatem præ se fert. Clarius hæc omnia profert Propheta Cap. XXXII. 12. Quinta periodus Cap. XXXII. 19-32. alludit ad amœnitatem Ægypti, illamque mox perituram v. 32. Jer. XLVI. 20. Ægyptum vocat vitulam formosissimam $\text{פִּירָה פִּירָה לְבַנָּי}$ geminatis radicalibus ad summum pulchritudinem indicandam respiciens ad fertilitatem terræ ac Majestatem, unde Moses Josepho benedicens Deut. XXXIII. 17. Decor (Majestas) pulchritudo ejus quasi primogeniti tauri, Homerus Iliad. β v. 480.

$\text{Ὡς τε βας ἀγέληφι μεγ' ἐξοχῶ ἐπέλετο πάντων}$

Velut bos in armento valde eximius est inter omnes.

Sexta periodus Cap. XXIX. 17-XXX. 19. destructionem post Tyri obsessionem & oppugnationem statim futuram denūciat, ut superbia Imperii destruat & potentia ejus deficiat ut Cap. XXX. 6, 18. Et sic finis magnificentiæ Ægypti.

Paucis adhuc cladem Ægypto illatam, &

quando ista facta sit, videbimus. Iſtam in Scri-
 ptura S. tantum pleno ore denunciari, apud
 exteros vero Scriptores de ea eſſe altum ſilen-
 tium vult Marſhamus. l. c. p. 580. Summus
 Vir Scaliger in Can. Iſag. p. 312. de hac clade
 dicit: *Quæ ab Ezechiele dicuntur de Ægypti deſola-
 tione, ita ut in deſertum redigenda ſit, hoc Dei mi-
 ſericordia remiſſum fuiſſe neque contigiſſe certiffimum
 eſt. Quem admodum neque Niniven delevit, ut per
 Jonam & Nabum interminatus erat. Et multa
 ſunt ejuſmodi apud Ezechielem Jeſaiam & Jeremiam.*
 Sed hanc cladem revera factam eſſe teſtantur
 Phœnicum Hiſtoriæ veteres apud Syncellum
 T. 221. *Και των Φοινικων παλαιαι πνευς ιſραηλ
 φερωνται οτι τε Ναβυχοδονοſορ, οτι ευρειαν η αιγυπτον
 η πασαν την φοινικην κατεſρεφατο πολεμοις* Quo-
 rum priora verba imperite ſcripta ob cohæ-
 rentiam ſermonis & ſenſus ita corrigit & ver-
 tit Jac. Perizon. Orig. Ægypt. c. XXIV. p:
 474. *Και των Φοινικων παλαιαι πνευς ιſραηλ & c.*
 Et Phœnicum veteres quedam hiſtoriæ circumferun-
 tur de Nabuchodonoroſo, ſc. tradentes, quod Sy-
 riam & Ægyptum, & omnem Phœniciam bellis
 everterit. Huic ſuccenturiatur Joſephus Ant.
 Jud. L. X. c. XI. Nabuchodonoroſo, inquit, ſubacta
 Cœleſyria contra Ammonitas & Moabitas bellum geſ-
 ſit quibus perdomitis, Ægyptum hoſtiliter ingreſſus eſt;
 & occidit Regem qui tunc erat, aliumq; conſtituit. Ne
 mirum igitur nobis videatur exteros Scripto-
 res illa tacuiſſe, illi omnia, quæ Græcis, Aſiaticis
 vel Europæis in Ægypto acciderunt, ab Ægy-
 ptis

ptiis sacerdotibus acceperere. Quæ verò ad gloriam suæ gentis minuendam vel certe infra Babylonios deprimendam pertinebant, omnia æque ac Manetho dissimularunt. Clades autem hæc facta est anno XXXVII. vel XXXVIII. Nebucadnezaris, qui est Decimus octavus vel nonus destructæ Hierosolymæ. Nam quartus, Jehojakimi annus est primus Nebucadnezaris Jer. XXV. 1. Deportatio Jechoniæ facta anno octavo Nebucadnezaris 2. Reg. XXIV. 12. Excidium Hierosol. est annus undecimus deportati Jechoniæ & annus XVIII. vel XIX. (s. in fine XVIII. & initio XIX.) Nebucadnezaris 2. Reg. XXV. 8. Jer. LI. 12. 29. Anno quarto vel quinto post iterum Judæi in captivitatem abducti cum post interfectum Gedaliam novimotus metuerentur uti liquet ex Jer. XLI. 18. qui est annus XXIII. vel XXIV. Nebucadnezaris Jer. LI. 30. Iste annus primus fuit obsidionis Tyriæ sub Rege Ithobalo quæ XIII. fere annis duravit juxta Philostratum apud Josephum L. I. Contra Apion. pag. 1046. Capta ergo Tyrus anno XXXVI. vel XXXVII. Nebucadnezaris & decimo septimo vel octavo a destructa Hierosolyma. Rex itaque Ægypti Hophra s. Apries patri successit, cui ex autoritate Herodoti, quæ præcipua est XXV. annos tribuimus; Coepit is regnare anno quarto Zedekiaæ, etiam ex Eusebii Chronico, qui est

annus undecimus vel duodecimus Nebucad-
 nezaris. Superfunt hinc usque ad destru-
 ctam Hierosol. septem anni, qui respondent
 anno XVIII. vel XIX. Nebucadnezaris. Qui
 si addantur septendecim annis usque ad ca-
 ptam Tyrum, habemus annos Apriis XXIV.
 vel XXV. circa initium qui est annus
 XXXVI. vel XXXVII. Nebucadnezaris.
 Sequenti anno qui est XXV. Apriis s.
 XXXVII. vel XXXVIII. Nebucadnezaris
 & XVIII. vel XIX. a destructa Hierosolyma,
 coepit bellum in cujus primo anno ipse pe-
 riit. Videtur enim Pharao Hophra obviam
 progressus Nebucadnezari in desertum quod
 est in finibus Ægypti & Arabiæ, sed ibi cæ-
 sus & relictus insepultus atque ita expositus
 bestiis terræ & volatilibus cœli ut impleatur
 vaticinium Jer. XLIV. 30. & Ezech. XXIX.
 4. sq. Hoc itaque cæso constituit alium dicit
 Josephus. l. c. Nebucadnezar, seu Regem
 sibi subjectum s. Satrapen hunc ipsum Ama-
 sin, quem Manetho, Herodotus, Ctesias,
 Diodorus, Africanus, Syncellus &c. Aprii
 s. Hophræ successisse tradunt, hominem
 plebejum Herod. L. II. c. CLXXII. sub cu-
 jus præfectura XL. anni desolationis stilo
 prophetico juxta Ezech. XXIX. 12. Solitum
 enim erat Victoribus in Oriente devictæ
 gentis hominem terræ a se captæ & vastatæ
 præficere; Ut in Judæa legimus Nebucad-
 ne-

nezarem terræ exhaustæ præfecisse Zede-
 kiam, dein hoc deficiente, & debellato
 Gedaliah Judæum. Sed & in Tyro à se va-
 stata constituisse Reges ac dein judices ho-
 mines Tyros plenius probat Jac. Perizon.
 Orig. Ægypt. c. XXIV. tot. & Orig. Babyl.
 c. VI. p. 79. sqq. in addend. p. 360. sqq. Fuit
 itaque Amasis tunc non Rex Ægypti sed satra-
 pes Babylonius æque ac Gedalia in Judæa post
 destructam Hierosolymam; Licet post mor-
 tem Nebucadnezaris ob intestina mala regni
 Babylonici nomen & titulum veri Regis
 sibi vendicaverit, qua sola ap-
 pellatione Græcis cog-
 nitus fuerit.

Demonstratio Mathematica, quod *labes insita*, quam *peccatum originis* vocant, animum, corpusque omnium præter Christum hominum depravarit, contra recentiores Pelagianos,

autore

J. C. HARENBERGIO.

Sunt complures mortalium in ea hæresi, quod liberum hominis arbitrium non debita fulgeat perfectione, nisi labem insitam, ab Adamo in omnes suos posteros transmissam, minuant vel penitus tollant. Judæorum plerique *יצר הרע* fermentum insitum malum cum Stoicis soli inhærere corpori putant. Pelagius & hodiernæ ætatis Sociniani traduntur id toto pectore mortalibus detraxisse. Ut vero de Socinianis nullum est dubium, Pelagium tamen non uno nomine vindicavit ab hac calumnia doctissimus Vir, Johannes Clericus, Arminianorum primipilus. Samuel Clarkius alique Angli peccatum illud mirifice elevant & imminuunt. Recentissime Daniel Witby, Theologiæ Doctor & Cantor

tor Ecclesiæ Salisburiensis in Libro de *Impu-
tatione divina peccati Adami*, posteris ejus uni-
versis in reatum, a. 1711. emisso probare co-
natus est, quod ante Augustinum, nec sa-
cræ literæ nec Divi Patres illud peccatum no-
verint vel comprobaverint. Respondit qui-
dem D. Jonathan EDWARD, Rector Colle-
gii Jesu Oxoniensis eodem anno in *Defensio-
ne peccati originis*, & Witbyum mascule re-
pressit. Liceat tamen & in Germaniæ oris
pro veritate clypeum arripere & mathema-
tica via eandem stabilire. Sunt mihi Postu-
lata novem præmittenda, quorum verita-
tem nemo veræ Metaphysicæ peritus in du-
bium vocabit, & quæ levissima quem ad-
amissim rationis sanæ, si opus fuerit, re-
vocari queunt. Adhibuit simul observatio-
nem unam præstantissimorum Physicorum de
animalculis spermaticis, quam nemo, qui
rem ipsam inspexit, dura fronte negabit, &
quæ a Leuwenhœkio, Wolfio, Thümmigio,
aliisque satis in lucem producta fuit.

Post. 1. Anima humana est simplex, partes-
que respuit.

Post. 2. Homo consistit ex corpore &
anima.

Post. 3. Quicquid malefacti certo eventu-
rum prævidetur, illud ei, cujus culpa
eventurum est, in pœnam tribui potest, ut,
verbi gratia, ei, cujus animus certo cædem

admissurus est, si compertum fuerit, poena infligi potest.

Post. 4. Deus nunquam sine ratione optimi agit.

Post. 5. Quidquid humanæ perfectioni noxium est, in eo faciendo peccatum committitur.

Post. 6. Quidquid cum toto corpore humano constituit unum, illud eodem circulo sanguinis nerveique liquoris afficitur.

Post. 7. Est harmonia corpus inter & animam.

Post. 8. Deus prævidit omnia, antequam essent.

Post. 9. Aequales causæ & circumstantiæ æqualem producunt effectum, similes similem, dissimiles dissimilem.

Theor. 1. Nullum creatum, quod ex pluribus est compositum partibus, in animam humanam physicam operationem immittere sine ullo interventu potest. Nam sic partes animæ humanæ intromitterentur, & ei partes essent, ad quas fieret contactus. Sic anima foret aliquid compositum, quod esset contra *Post. 1.*

Theor. 2. Nil creatorum ratione Numinis & per sese est indifferens, hoc est, nec bonum nec malum. Nam ita Deus citra rationem optimi aliquid creasset, quod est contra *Post. 4.*

Theor. 3. Adamus ea conditione conditus est,

est, qua Deus tantam bonitatem in eum exercuit, quanta per utriusque naturam effectui poterat dari. Nam, si meliorem eum creasset, quam id fieri poterat, fecisset id, quod fieri non poterat, nec factum est. Quod ipsum laborat contradictione. Si condidisset eum, deteriori conditione affectum, quam qua creari poterat, ergo fabricatus eum esset contra rationem optimi. Qui enim melius agere potest, quam facit, ille non agit id, quod est optimum. Quod foret contra Post. 4.

Coroll. 1. Ergo Adamus non potuit meliori conditione creari, quam qua creatus est.

Theor. 4. Deus usui humano nil interdiceret potest, quod corpori vel animo humano est ulla ratione conducibile, sive, quod est utilius, quam nocentius. Nam hoc pacto nulla adesset ratio optima, quæ id fieri negaret, cum tamen eadem ex actione divina elucet; per Post. 4.

Coroll. 2. Quicquid igitur Deus usui humano interdicit, illud homini noxium sit oportet. Indifferens enim idem esse nequit per Theor. 2. Si vero Deus nulla ratione, solo arbitrio, ad aliquid vetandum inductus esset, egisset contra rationem optimi suamque naturam per Post. 4.

Theor. 5. Arbor cognitionis mali bonique fuit homini noxia. Nam Deus ejus usu homini interdixit, qui vetat noxia, non vero bona per Cor. 2. indifferens vero esse nequit, ob Theor. 2.

Theor.

Theor. 6. Arboris illius fructus animo humano immediate non fuit noxius, sed potius corpori, quia erat ille ex iis, quæ ex pluribus composita partibus sunt, quæ immediate non tangunt depravantve animum per *Theor. 1.*

Theor. 7. Cum igitur Eva & Adamus fructum arboris vetitum degustarunt, consensu suo, in perniciem prono, peccarunt in animum, per *Post. 5.* & ipso delibato fructu noxam intulere corpori, per *Theor. 6.*

Obs. 1. Præformata & delineatio animalium in animalculis seminalibus, quorum seminis virilis vividissima per uterum ad ovarium deferuntur ope idque per cicatriculam ingrediuntur, gravidant, deciduumque reddunt, ut ad uterum referatur ad delineationem magis exprimendam.

Cor. 3. Cum ergo præformata delineatio Titii fuit in Sempronio, hujusque in Caio & sic porro regrediendo ad Adamum, quare omnia animalcula seminalia divinitus præformata sunt in Adamo.

Theor. 8. Anima humana (a) simul est in illo animalculo seminali. Nam nisi initio simul creata esset, ut simplex in Adamo, tum vel denuo crearetur a Deo vel propagaretur emanando aut ex anima aut ex corpore parentum. Tertium non datur. Si ponimus prius, crearetur anima vel sancta, vel indifferens

(a) At vero valde dubito hoc assertum omnibus approbatum iri. Sicut & in his thesibus occurrunt alia, quæ, si, quid judico, majori adhuc examine indigere videntur. T. d. H.

rens, vel vitiosa. Non creatur sancta, quia experientia teste datur malum *συγγενες*; quod Aristoteles & Seneca etiam confirmant. Nec creatur indifferens, ob Theor. 2. Nec creatur vitiosa, quia id esset inimicum essentiae divinae ob Post. 4. Si ponimus posterius, ita ut propagaretur ex corpore, tum non foret simplex, contra Post. 1. si decerperetur ex altera vel utraque anima parentum, tum rursus animae parentum, quia dividerentur ac distraherentur, non forent simplices sive Monades. Restat igitur, ut initio instar monadis quævis creata sit anima in Adamo & succedente tempore simul cum suis animalculis ad uterum cum animalculis seminalibus deferatur.

Cor. 4. Quare animalcula illa, ab Adamo usque transducta, ratione corporis simillima sunt morbidis corporibus majorum suorum, quia eorundem circulo sanguinis, liquorisque nervei fuerunt imbuti, ob Post. 6.

Schol. 1. Animarum præexistentiam igitur merito complures Philosophi, Rabbinique vetustissimi comprobaverunt.

Schol. 2. Et hic est primus modus, quo peccatum originis ob morbida majorum corpora & corpus & indirecte animum infecerit.

Theor. 9. Deus prævidit certo, quod, si singuli nostrum loco Adami & Evæ creati fuissetis, & nosmet similiter peccavissetis. Nam Deus prævidit omnia futura, per Post. 8. nec meliores creati fuissetis Adamo, ob Theor.

æqua-

3. nec deteriores, per Post. 8. cum vero æquales causæ æqualem sortiantur effectum, Post. 9. eadem tum ratione peccavisset. Quare Deus ideo nobis culpam & pœnam tribuere potest, Post. 3.

Schol. 3. Et hic est alter modus, quo peccatum originis animum & per harmoniam (Post. 7.) indirecte corpus nostrum inficere potuit. Gratia Dei est, quod inde eluctari, spiritu ducente, valeamus.

Schol. 4. Quod si verum esset, quod Regnerus de Graaf præfat. de mulierum organis, generationi inservientibus tradidit, videlicet omnia omnino animalia adeoque hominem ipsum non ex ovo in utero a semine, ut Aristoteles, aut ejus virtute, uti Harvejus insinuare videtur, efformato, sed ex ovo, ante coitum in mulierum testibus existente, originem sumere, quod ipsum tamen falsum esse recentior ætas ostendit: nihilo secius demonstratio allata optime succederet,

Schol. 5. Hartsoecker nuperrime quædam monuit contra præstabilitam delineationem in primis animalibus & plantis, & ipse ad naturas plasticas decantatissimas confugit. Sed, qui rationes Viri hujus profundissime docti inspexerunt, fatebuntur, ex calculo ejus infinitam Dei sapientiam elucere ordinemque naturæ, artificium quodvis, immo nostram imaginationem, superantem. Ex eo tamen, quod imaginationem nostram vincit, non licet rationem ullius impossibilitatis illico stabilitum ire.

IV.

De ignorantia exegetica
multarum RELIQUIARUM sa-
crarum matre & ob-
stetrice

observatio

Jo. Jacobi (a) RAMBA-
CHII,

Fac. Theologicæ in academia
Fridericiana adjuncti.

§. 1.

Reliquias sacras inter fulcra superstitio-
nis pontificiæ numerandas esse, ne-
mo prudentiorum diffitebitur. Hu-
manæ mentes ita comparatæ sunt, ut
nescio qua veneratione rerum anti-
qua-

(a) Nuper prodire hujus Cl. Viri *Institutiones Hermeneuticæ sacrae*, variis observationibus, copiosissimisque exemplis Biblicis illustratæ sacrarum, literarum studiis apprimè commendandæ cum præfatione Jo. Franc. BUDDEI; Jenæ 1723. 4. II. Alph. 2. plag. Ut & ejusdem; *Exegeticæ & morales consi-*
de-

quarum facile tangantur; maxime si accedat hominum, qui illas vel possederunt, vel usurpaverunt, celebritas, & quædam opinio sanctitatis. Hinc & *Judei* olim & *gentiles* suas jactaverunt personarum illustrium reliquias, quas in magno honore habuerunt. De PRIMORUM PARENTUM TUNICIS, quas ex ovium mactatarum & immolatarum pellibus DEUS ipsis confecerat, in *pirke Eliezer* cap. XXIV. refertur: „Tunica, quam confecerat DEUS Adamo & Evæ, fuit cum Noacho „in arca, & ubi egressi sunt arca, accepit eam „Cham, filius Noachi, & secum extulit, atque in hæreditatem reliquit Nimrodo.“ Similiter OSSA ADAMI dicuntur a Noacho in arcam recepta, & post diluvium a patre inter filios distributa, datumque Semo, primogenito, Adami CRANIUM, a cujus posteris illud sepultum eodem loco, cui postea crux Christi inserta, qui hinc nomen *calvarie* accepit: de qua sententia recte HIERONYMUS in Matth. XXVII, 33. *Favorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi; nec tamen vera.* ARCÆ Noachi reliquias perhibent ostendi in montibus Armeniæ, teste SAM. BOCHARTO *Geogr. sacr. part. I. lib. I. c. III.* Immo R. MANASSE, *de resurrect. lib. II. c. XI.* refert, R. Ju-

derationes de VIII. beatitudinibus, quibus Christus concione suam in monte inchoavit, ut & tales de internis & externis passionibus J. C. in horto Gethsemanis, Jenæ 1723. 8. Sed hæc scriptæ sunt Germanice.

Judam quendam adseruisse, se ex iis esse ori-
undum, quos in vitam revocaverit Ezechiel
c. XXXVII. (quod tamen tantum in visione
prophetica contigisse certum est) & quædam
TEPHILLIM habuisse, quæ ab illis accepta,
pater suus reliquerit.

§. 2. Non minus vero *orbis paganus* non-
nullis veterum heroum reliquiis, magna reli-
gione cultis, olim superbiebat. Athenien-
ses, Apollinis oraculo moniti, OSSA THE-
SEI Athenas deportabant, eumque, tam-
quam præsidium urbis; sacrificiis & invoca-
tionibus colebant; ut PLUTARCHUS in vi-
ta *Thesei* refert. Augustus imperator, Ale-
xandriam ingressus, ALEXANDRI M. COR-
PUS præ reliquis omnibus conspicere gestiit,
quod floribus totum conspersum, coronæ
prosequutus est honore. Ejusdem *chlamys*,
thorax & *urna* inter pretiosas magni herois re-
liquias numerabatur: uti Græci *sepulcrum*
ARISTOTELIS, LYCURGI, ARCHIMEDIS, alio-
rumque; Romani *casulam* ROMULI, in qua
cum fratre Remo vitam pastoritiam degerat,
magna olim cura observabant; ut alia multa
taceamus.

§. 3. Ab his igitur veneratio & pompa reli-
quiarum accepta, & in *ecclesiam christianam*;
post tertium a Christo nato seculum, transla-
ta, novisque aucta additamentis fuit, ut plu-
ribus ostendit MARTINUS CHEMNITIUS,
nostræ ecclesiæ decus, in *examine Conc. Trid.*

p. 669. seqq. ed. Genev. & Doct. JO. VAL-
 CKENIER, in *Roma paganizante*. Tanta vero
 incrementa illa res sequentibus seculis cepit,
 ut vastissimi existent reliquiarum indices; qua-
 les sunt JOSEPHI GELDOLPHI a RYCKELS,
phylacterium reliquiarum sacrarum: ARN. RAYS-
 SII *hierogazophylacium Belgicum*, cet. in quibus
 multorum sanctorum sanctorumque ossa, car-
 nes, sanguinem, dentes, ungues, capillos,
 lacrimas, cineres, vestimenta, interulas, to-
 gas, tunicas, pallia, caligas, crepidas, cal-
 ceos, cingula, pectines, flagella, & quid
 non? ordine videas recensita, additis passim
 inauditis miraculis, sine omni fronte narra-
 tis. Innumeras fraudes in confingendis illis
 reliquiis esse commissas, dubio prorsus caret.
 GEORGIUS sane CASSANDER, quem Jac.
 Gretserus dicebat „se tanti æstimare, quanti
 „Cassandram, Priami filiam, in consultatio-
 „ne de articulis religionis inter catholicos &
 „protestantes controversis, art. XXXI., non
 veretur scribere: „Permulti reperti sunt, qui
 „sanctorum reliquias sive falsas sive veras
 quæstui habuerunt; ita ut passim a circumfora-
 neis & vilissimis hominibus, instar sacrorum
 Isidis circumferrentur, & multis mendaciis
 imperito vulgo commendarentur. Hodie
 vero quum passim omnia reliquiis sanctorum
 „plena esse videantur, verendum est, ne si
 „episcopi & principes in veris reliquiis inqui-
 „rendis & dijudicandis eam, quam debent,
 „ope-

operam adhiberent, ingentes & detestandæ
 imposturæ patefierent, quemadmodum in
 nonnullis locis factum est.

§. 4. Et certe omnem prorsus communem
 sensum ejuraverit, qui in historia reliquiaria
 fraudes & imposturas non deprehendat.
 Quanta enim quæso, exempli gratia, *lactis*
 & *lacrimarum Mariæ* ubique terrarum est co-
 pia? Si in unum conferatur acervum, quid-
 quid ubivis gentium de *ligno crucis* ostenditur,
 satis est materiæ, ad vastam domum constru-
 endam, vel ad *Batavicam onerariâ navem* im-
 plendam, *Clavi* plures supersunt, quam unquam
 in crucem acti fuerunt. Ex ea, quam Christus ge-
 stavit, corona, tot *spinarum* in mundo est, ut
 jam non corona, sed silva ex illis particulis
 haberi possit. Talia si conjicerentur in unum
 acervum, idem certe accideret, quod olim
 regi anglorum; Eduardo, ex dentibus labo-
 ranti, accidisse refert MART. CHEMNITIUS,
 in *exam. conc. Trid. p. 672.* Quum enim ille
 mandasset, *APOLLONIÆ dentes*, qui ubique
 in regni sui ecclesiis inter reliquias servaban-
 tur, ad se mitti: tot ex unius regni reliquiis
 Apolloniæ dentes coacervati fuerunt, quos
 aliquot magna dolia capere non potuerunt.
 Quin imo non satis fuit verorum sanctorum
 confingere reliquias; eorum etiam, qui
 numquam in rerum natura fuerunt, *κειμήλια*
 in thesauros suos retulerunt, ut *dentem magnâ*

CHRISTOPHORI, qui pugno major, Dononii prope Valencennam & Parisiis & Genuæ ad-
servatur: S. Georgii equitis *mandibula* cum
dente, Quercu-cincti prope Duacum: alibi
etiam *gladium*, quo draconem scilicet occi-
dit. Sed harum similiumque reliquiarum va-
nitatem pluribus detexit JO. HOORNBEE-
CKIUS, in *scholiis ad bullam Urbani VIII. de Je-
suitissis, imaginibus & festis, Ultrajecti MDCLIII.*
editis, & JO. DALLÆUS, *adversus latinorum de
cultus religiosi objecto traditionem, (Genevæ,
MDCLXIV.) lib. IV.*

§. 5. Nunc tantum constitutum est brevi-
bus & allatis in medium aliquot exemplis
commonstrare, ignorantiam exegeticam multa-
rum reliquiarum matrem esse almamque obstetricem.
Ac primo quidem fulcra, quibus cultus reli-
quiarius innititur, arenosa admodum sunt &
ludicra, ab ignorantia hermeneuticæ sacræ
fabricata. Exempli gratia, *reliquias recte al-
taribus inseri*, ROB. BELLARMINUS, egre-
gius romanæ superstitionis promachus, *lib. II.
de sanct. reliqu. c. III.* & BARONIUS *ad Ann. Do-
mini LV. n. 16. ex Apoc. VI, 9.* demonstrant,
ubi Joannes *sub ara* vidisse dicitur *animas neca-
torum propter verbum Dei.* Sed nihil prorsus
inde reliquiarum patroni luerantur. Joannes
enim non corpora, corporumve reliquias,
sed *animas* dicit sub altari a se in spiritu visas.
Deinde *altare* non in terra, nec in splendida
aliqua basilica, sed in cœlo videbatur, coll. c.
VIII,

VIII, l. 2. 2. Tota vero visio emblematica est, desumpta ex ritu œconomix Mosaicæ, ubi sanguis animantium, in ara holocaustica immolatorum, ad basin altaris effundebatur, in quo sanguine censebatur esse animantium anima, ut prudenter HUGO GROTIUS observavit. Martyres igitur hic considerantur ut sacrificia holocaustica, Deo solenniter oblata, & ob professionem veritatis mactata. Eorum animæ sub altari comparent, hoc est, in communionem Christi, qui Hebr. XIII, 10. *altare dicitur*. Ita si veræ interpretationis faces huic loco admoveantur, omne præsidium, quod mos, reliquias sub altaribus condendi, inde expectare poterat, illico disparet.

§. VI. Talia porro reliquiis accensentur, quæ, si modo rationem audire voluissent, in earum numerum nunquam fuissent cooptaturi. Equidem ratio non est principium, sacra interpretandi; at sanæ tamen rationis usus organicus & instrumentalis ab exegetico negotio removeri non potest. Quod si igitur in catalogo reliquiarum ea conspexeris, quæ eo referri, ab omni alienum est ratione: merito stuporem hermeneuticum dixeris. Ex. gr. VASQUEZ in III. Thom. quest. XXV. disp. 112. c. 1. PETRI UMBRAM Act. V, 15. inter reliquias ponit, & doctrinæ reliquiaræ aliquam inde auctoritatem sacram conciliare studet. Quid vero magis ab amica ac sana ratione remotum, quam hominis *viventis* reliquias illas

dicere, quarum nomine ea significari omnes sciunt, quæ homo in terris, ipse ex eis discedens, relinquit. Vnde liquet, ne in *mortui* quidem reliquiis umbram censeri posse, rem scilicet fluxam & inanem, quæ quum non maneat, sed, corporis præsentia sublata, statim transeat, atque evanescat; *relinqui*, adeoque in *reliquiarum* numero haberi, neutiquam potest. Quid porro magis ἀτόπων, quam *MICHAELIS* archangeli *sciam* & *scutum* in fano, quod est in littoribus Neustriæ extremis, adseruari? *MARCUS* certe *LESCARBOTUS*, vir ritus latini religiosissimus, in *hist. nouvelle de France, lib. IV. c. XIX. p. 609.* suum ad illum Michaelis montem, in quo fanum est, iter describens, narrat, angeli clypeum inter ceteras, quæ ibi habentur, sacras reliquias, antehac ostendi solitum; sed annis, antequam eo ipse accederet, non pluribus quam quinque Abrincensium episcopum vetuisse, ne deinceps ostenderetur: unde factum, ut ipse, qui loca illa sacra anno MDCVII. Iustravit, hoc armorum cælestium spectaculo fraudaretur, quibus olim cœlestis ille genius, cum dracone pugnans Apoc. XII. usus fuerit. Ecquis vero sanæ mentis compos umquam sibi persuaserit spiritum cum spiritu decertantem, armis ligneis ferreisve usurum?

§. 7. Plurimæ vero, quæ inter absurdas numerandæ sunt, reliquiæ inde prognatæ sunt, quod vel male intelligerentur scripturæ di-
vinæ

vinæ verba ; vel quæ tropice intelligenda erant, proprie acciperentur. Ex male intellectis. scripturæ verbis *cornuta MOSIS* excreverunt, quibus *Genua* superbire dicitur. Fontes ebræi memorant, קרן עור, פניי Exod. XXXIV, 29. 30. quod LXX. interpretes, quos & Paulus II. Cor. III, 7. sequitur, recte transtulerunt: δεδόξασαι ἢ ὄψις τῆς χροιάς τῆ προσώπου αὐτοῦ; male vero *vulgatus* interpres, ambigua vocis קרן significatione deceptus, reddit, quod *cornuta* esset *facies sua*; quam interpretationem *HIERONYMUS* etiam amplexus est, qui in *comm. ad Amos VI.* putat, vere tunc dicere potuisse *Mosen*, ex psalmo CXLVIII, 14. *In te inimicos meos cornu ventilabo.* Hinc error non modo dimanavit in multos *nummos*, in quibus *facies Mosis cornuta* exhibetur, de quibus videatur celeb. *JO. BENED. CARPZO.* VII *schediafma de nummis, Mosen cornutum exhibentibus*; sed in alias etiam versiones sese diffudit. Excusa est *Augustæ MDXVIII.* germanica bibliorum translatio, quæ *loc. cit.* ita habet: *und er wist nit / daß sein Antlitz gehörnet was / von wegen der Gesellschaft des Wortes Gottes.* At enim vero ebræus textus habet קרן, quod etiam significat *splendere, radios spargere.* Sane Hab. III, 4. קרנים *radios* significat, & apud arabes *radii solares* קרן dicuntur. Quapropter *Mosis vultus* ex familiari commercio cum Deo, & divi-

næ lucis adflatu, lucidus quoque DEO ita volente, factus est, ad convincendos Israelitas, de colloquio Mosis cum Deo, qui simplicissima lux est, & in luce dicitur habitare I. Tim. VI. 16. Quidquid MART. DEL RIO, in *adagialibus* sacris, HUGO GROTIUS, & alii vulgatæ versionis inconsulti defensores, contra dicant. Confer venerandi SAL. DEYLINGII *observ. sacr. part. III. obs. VIII. p. 61. seqq.* Desinant igitur homines superstitiosi cornua Mosis adscribere numero reliquiarum; quas passim vocare solent, *fidei suæ symbola, suas tesseræ, sua adversus hostem arma*, quibus diabolus impugnant, ut docet JO. DALLAEUS *libro cit. lib. I. c. XXIII. p. 177.* Enimvero stupidum prorsus oportet esse diabolus, quem sacrae litteræ ut callidissimum describunt, qui ejusmodi armorum larvas extimescat.

§. 8. Aliæ reliquiæ inde ortæ sunt, quod proprie in sacris litteris acciperentur, quæ proverbialiter vel metaphorice intelligenda erant. Equidem a propria verborum acceptione non est facile recedendum; sed nec eidem inhærescendum, ubi manifesta absurditas eam relinquere jubet & cogit. Nihil notius est, quam cælestibus nuntiis alas tribui, ad exprimendam illorum celeritatem, & in exequendis numinis mandatis promptitudinem. Hæc quum proprie acciperentur, nescio quæ reliquiarum monstra inde exclusæ sunt

sunt. Ita olim ostensæ fuerunt *plumæ*, quæ ex ala *Gabrielis* forte fortuna excidisse dicebantur, cum beatam Mariam Virginem salutaret; ut refert clar. JO. GERH. MEÛSCHEN, in *relat. de domo Laurentana* §. III. Quia immo, quum ipse etiam Spiritus sanctus Matth. III. sub forma *columbe* adparuisse narratur, inventus olim fuit impostor, qui *Spiritus sancti plumas* se circumferre in reliquiis jactabat. Quum vero faceti quidam homines, clam aperta capsula, *carbones* loco plumarum substituisserent, ille postridie, multa de plumis suis ad populum præfatus, aperiens capsulam, pro plumis carbones invenit. Is vero artis suæ non immemor, inversa oratione, cœpit declamare, esse carbones *craticule Laurentii* subreptos; ut refert MART. CHEMNITIUS, in *exam. conc. Trid.* p. 672.

§. 9. Proverbialis est locutio, quum Paulus II. Cor. XII, 7. mentionem facit *pali*, qui *carni* ipsius infixus sit. *Σκόλοψ* veteribus idem, quod *σαυρός, crux*. Ita HESYCHIUS, *σκόλοπες, σαυροί*. Et *ἀνασκολοπιζέιν* idem quod *ἀνασαυρέειν*, uti LUCIANUS in *vita Peregrini*, benedictum nostrum servatorem, cruci adfixum, vocat *σοφιστήν ἀνεσκολοπισμένον*. Uti igitur latine dicimus, *crucem figere* de eo, qui gravem alteri molestiam creat, ita Paulus *adversarium aliquem ex pseudapostolis*, a quo supra modum vexabatur, *σκόλοπαι* vocat, hoc est, *crucem & quasi tortorem suum; satanae*

insuper *angelum*, sive ministrum ac satellitem II. Cor. XI, 13, 14. qui colaphis ipsum excipiebat, hoc est, publicis & atrocibus calumniis proscindebat, quod c. XI, 20. est εἰς πρόσωπον δερεῖν. (b) Hæc quum non observarent reliquiarum cultores, *Pauli* etiam *palum* in apothecas suas receperunt. MAXIMILIANUS enim MISSON in itineribus per *Italiam* p. 644. testatur in basilica Lateranensi, Romæ, præter *caudam asini*, quo *Bileam* vectus est, etiam ostendi *palum*, qui in carne *santi Pauli* hæserit. Quo num quid magis ridiculum dici possit, valde dubito. Non dubito tamen, multo plura talia inventurum, qui indices & gazophylacia reliquiarum sacrarum excusserit. Hæc speciminis loco sufficiant; ut discamus, quomodo sacra exegetis sui contemptum vindicet.

(b) Pluribus hic locus excussus est hujus Bibl. T. VI. p. 635. sq. 647. sqq. & T. VII. p. 551. ubi etiam p. 648. auctores longo agmine adducuntur, qui eum uberius tractarunt.

Jo. Georgii SCHELHOR-
NII,

De

Vita & Scriptis Pauli SCA-
LICHII commentatio.

Paulus SCALICHIUS de Lika, Comes Hunnorum, & Baro Zkradinus, S. Theol. Doctor, uti seipsum appellat in fronte suorum quorundam Operum, Basileæ a Jo. Oporino A. 1559. in 4. junctim editorum, portentosi Vir ingenii, & alter sui temporis Ecebolius, originem suam venditabat ex illustri Scalichiorum gente, quos Bela, Hungariæ Rex, ob eximia in se & Pannoniæ regnum merita, resque fortiter contra Tartaros gestas, insignibus privilegiis & honoribus donavit, eosque in consortium ac numerum commilitonum suorum (sunt ipsa Belæ verba) locavit, castro insuper Ekrad in Croatiæ regno ipsis in peculium & officiorum remunerationem dato atque concessio: quod ex ipso Belæ diplomate, A. 1263. exarato, & Scalichii operibus annexo, elucet. Nec reticendum, Ferdinand. I. gloriosissimæ memoriæ Imperatorem, in gratiam nostri Pauli privilegia a Bela Scalichii

lichii impertita peculiari diplomate itidem
 opusculis supra dictis addito A. 1555. con-
 firmasse, ex quo sequentia excerpere juvat:
*Nos Ferdinandus - - - fidelis nostri D. Pauli
 Scalichii de Lika &c. allecti virtutibus, eum no-
 stra speciali gratia nostroque peculiari studio, fa-
 vore, gratia atque munificentia dignum judicavi-
 mus. Non enim contentus majorum & progeni-
 torum suorum eminenti ac splendidissima gloria - -
 - - gloriam virtute militari partam, philoso-
 phie & optimarum artium exacta insignique cog-
 nitione clariorem facere, suamque gentem & familiam
 rerum alioquin militarium fortissimis gestis jam in-
 de ab antiquis temporibus claram, conjuncta mili-
 tiae summa excellentium quarumcunque disciplina-
 rum eruditione, nobiliorem reddere, aliisque mul-
 tijuge virtutis ad astra tollere curavit. Ab ipsa
 enim infantia humaniorum liberaliumque artium
 deditus studio, paucorum annorum curriculo per-
 fecit, ut peragratis variorum regnorum celebriori-
 bus & insignioribus Academiis, felicissimi ingenii
 solertia ac animi irrequieti industria, continuaque
 diligentia difficiliorum, & inter alias precipuas
 quasque disciplinas excellentiorum artium cog-
 nitione ad unguem, & ultra praeteriti seculi homi-
 num industriam & acumen consecutus, a doctissimis
 & insignibus viris, magnis in re literaria titulis &
 honoribus condecorari meruerit. Quarum quidem
 virtutum suarum fama ad aures nostras regias per-
 lata, pro primo declaranda erga eum gratiae stu-
 dio (non potest enim nobis nisi gratissimus & ac-
 ce-*

ceptissimus esse) donec uberiores eum prosequamur
 clementia , Serenissimi quondam Belez --- literas
 --- approbamus , roboramus --- confirmamus &c.
 En egregia elogia , quibus dignum censuit
 nostrum Magnus Imperator ! Cumque gens
 Scalana , eadem cum Scalichia , Marchio-
 natum olim Veronensem possederit , Paulus
 sibi etiam aliquanto post Marchionis Veronæ
 titulum sumsit , atque adeo originem suam
 ex iisdem radicibus derivare voluit , ex qui-
 bus suam quoque , haud paucis tamen reni-
 tentibus , eruditissimi Viri Julius Cæsar & Jo-
 sephus Justus Scaligeri , pater & filius , de-
 ducere magno molimine conati sunt. Sed
 opposuit se ipsi , natalesque ejus tam illustres
 in dubium vocavit Albertus Truchses Wez-
 hufanus , obscuro loco natum , rusticique
 filium esse asserens , quem vero singulari
 scripto A. 1565. refutare Noster annis fuit.
 vid. Summi Theologi atque Polyhistoris J. F.
 Buddei Continuat. Lexici Universalis Histor.
 fol. 396. Ego in medio rem relinquo , addi-
 tis duntaxat adhuc Josephi Scaligeri verbis ,
 quibus in Confutatione stultissimæ Burdo-
 num fabulæ , sub nomine J. R. hoc est , Jani
 Rutgerfii contra Scioppii Scaligerum Hypo-
 bolimæum editæ , p. m. 233. utitur : *Paulus
 Scalikius , qui se pro Michaelis filio gerebat , homo
 Slavus erat , in Carnis natus , in Croatis educa-
 tus , in Germania institutus. An de genere suo
 mentitus sit , id neque scimus , neque confutamus.*

neque nostra refert. Hoc unum certo scimus, quæts de Bonifacio, Michaelis patre, dixit, non solum vera esse, sed eorum multa vestigia in scriptis editis Julii Caesaris, longe plura in non editis extare. Missis vero his, ad vitam ejus describendam jam accingimur.

Paulus SCALICHIUS natus est A. 1531. uti auguror. Quamquam enim nativitatis annum nullibi præcise notatum invenire licuit, exin tamen, isto, quem designavi, lucem hanc primum vidisse Scalichium, conjicio, quod conclusiones, Bononiæ ad disputandum propositas, de quibus mox quædam dicenda erunt, publice tuitum se fuisse, nondum natum vigesimum primum annum, ipsemet scribat in præfatione Glossæ in triginta duos articulos Canonis Missæ. p. 646. Opp. Has autem Conclusiones, ni fallor, A. 1552. publice proposuit: nam ejus anni die 15. Dec. datæ sunt literæ, quibus Academia Bononiensis egregiam edecumatæ eruditionis testimonium tribuit.

Juvenis variis in locis literis operam navavit, præsertim autem Viennæ, ubi admodum adolescens Philosophiam publice ipse jam docuit. Deinde Bononiæ, assiduis exercitatus vigiliis, Theologiæ sollicitam & curiosam (verba sunt diplomatis Bononiensis) operam jugiter impendit, atque scholasticos actus tam publice quam privatim gessit, conferendo, arguendo, & disputando.

Ibi proposuit Calendis April. anno, ut videtur, 1552. *Theses mille quingentas quinquaginta tres, divinas, angelicas, cœlestes, elementales, humanas, christianas, philosophicas, metaphysicas, physicas, morales, rationales, doctrinales, secretas & infernales*, uti ab ipso Scalicchio in titulo nominantur. Has publice defendit, ibidemque dein Doctoris Theologiæ gradum capessivit, a Collegio ejus Universitatis theologico insigni testimonio, operibus illius annexo ornatus, in quo præter cætera *singulare in natura miraculum* vocatur. Speciminis loco harum thesium quasdam ex ultima classe, quæ centum constat conclusionibus de mundo infernali, prout titulus habet, heic afferam:

5. „Dæmon, quoniam nullo suggerente peccavit, ideo nullo reparante redibit.

28. „Deus facta mundi purgatione, dividet a calore splendorem, & totum calorem mittet ad regionem damnatorum.

42. „Quicumque proprietatem servant humanam, homines iterum nascentur: qui vero solo utuntur sensu, bruta animalia redibunt.

43. „Qui sensu una cum ira utuntur, animalia fera exorientur: qui vero sensu per concupiscentiam voluptatemque utuntur, ingluviosa animalia revertentur.

44. „Qui non tam sensu una cum his, quam

„quam sensus degeneratione vixerunt, una
 „cum ipsis plantæ repullulant.

45. „Qui musicis modulis nimium deli-
 „niti vixerunt, in cæteris non depravati,
 „animalia musica renascuntur.

46. „Qui sine ratione regnarunt, aquilæ
 „fiunt, nisi pravitate aliqua sint infecti.

47. „Qui civilem virtutem consecutus est,
 „homo revertitur.

63. „Dæmones, qui proprio arbitrio cum
 „principe suo diabolo a Dei ministerio recel-
 „serunt, si paululum resipiscere cœperint,
 „humana carne circumdantur.

87. „Nihil pulsandis malis dæmonibus mu-
 „sicali harmonia efficacius.

Inde Romam contendit, easdem theses,
 additis adhuc 10447. aliis, ibi publice tuitu-
 rus; nisi obstitissent ei Jesuitæ, heterodo-
 xiæ ipsum insimulantes. *Ob tuam* (en Scali-
 chii verba ad Joannem de Polanco, Can-
 cellarium S. J. in præfat. Glossæ in 32. Art.
 Can. Miss. p. 646. Opp.) *tuorumque simultatem*
nunquam efficere potui, ut certum aliquod tempus
disputationi præfigeretur: nec aliud in me repre-
bendere potuistis, quam juventutem, quod nondum
natus vigesimum primum annum de profundis phi-
losophiæ & theologiæ mysteriis atque incognitis di-
sciplinis in celebratissima urbe, & amplissima do-
ctissimorum virorum consessu, disputationem insti-
tuerim. Atque eum numerum conclusionum super-
fluum, ambitiosum, & supra vires, ad pom-
 pam

quam potius ingenii & doctrinae ostentationem, quam ad comparandam eruditionem propositum censuistis. Quapropter me audacem, temerarium, plus sapere velle quam oporteat, & novi dogmatis autorem oblatrati estis.

Posthac Viennam rediens, eruditione sua haud vulgari in gratiam Imperatoris, ejusque filiorum Maximiliani & Caroli, se infinuavit, quam in diversis opusculorum suorum praefaminibus praedicat, testantibus eam quoque Caesarei Diplomatis verbis supra recitatis. Quum vero interjecto tempore veritatis divinae radiis collustratus, puriorem Evangelii doctrinam, non ita multo ante, Dei beneficio orbi Christiano restitutam, assensione comprobaret, ejus partes ingenue, ut quidem videtur, & fortiter data occasione, publice etiam agens, acerbissima pontificii cleri odia in se convertit, illiusque machinationibus tandem cedere & Vienna egredi coactus est. Praesertim inimicissimum habuit Hispanum quendam, M. Gallum, Professore Salamanticensem, tum Viennae degentem, quocum de Missae sacrificio coram Maximiliano, eo tempore Bohemiae Rege, qui haud alieno a veritate Evangelica animo fuit, magna animi fiducia disputaverat, quod ex dedicatione Dialogi de Missa ad fortem orthodoxiae Evangelicae assertorem Jo. Sebastianum Pfauserum, (a)

Class. VII. Fasc. VI. XXX Di.

(a) Vide de eo Melch. Adami, in vitis Theolog.

Divo Maximiliano à sacris concionibus & conciliis, perspicere est. Potissimas rationes, quibus Vienna excedere adactus fuit, ipse recitat Scalichius in peculiari libro, Maximiliano dicato, quem *Exilium*, seu de vera Christi doctrina & sola fide justificante Ephesiam Disputationem, Viennæ Austriae 27. Augusti A. 1557. habitam. inscribit.

Scilicet per id tempus thermis utebatur Professor quidam Viennensis, D. Villinus: ab eo igitur Paulus noster blande compellatus, immo magno studio, omnibusque precibus rogatus fuit, ut interjecto spatio ipsius vice in publicis lectionibus academicis fungeretur. Hujus itaque voluntati obsequendum ratus Scalichius auream divi Pauli epistolam ad Ephesios scriptam tempore constituto sibi enucleandam sumsit, atque adeo ab initio statim larga ipsi de Christo, justificatione per fidem, aliisque salutaris doctrinae partibus disserendi materia suppeditata fuit, simulque occasio Romanæ Ecclesiæ errores reprehendendi. Facile ex his colligi potest, quantas turbas hæ dissertationes inter monachos exciterint? Ii magno numero, unita vi, collectis copiis Ferdinandum Augustum adcentes, suspiriis, querelis, precibus aures ejus obtundere, Scalichium abominandarum hæresium

reum

additis elogiis Nic. Reusneri & Pantaleonis Candidi, p. 415. sqq. & Jo. Andr. Schmidium in edit. *literarum Secretiorum Ferdinandi de obtinenda Eucharistia subutraque* p. 16. sqq. T. d. H.

reum postulare, Cæsaris fidem & pietatem canora & flebili voce, effusis forte etiam lacrymis, implorare: exhibitis simul sequentibus articulis, quos deinceps Imperator, vehementioribus verbis Nostrum excipiens, ipsi, ut quamprimum super iis animi sui sensa exponeret, tradidit:

D. Paulus Scalichius in lectione theologica almæ Univers. Vienn. 29. Julii epistolam Ephesiorum exponens, & super Apostolos scommatizans, mire grassatus est in summos Pontifices, & in specie ad modernum descendens, dixit, quod perpetuo divexet illum Satanas, & quod fuerit semper hypocrita: & particulatim acta sua exposuit, & addidit, quod Cardinales & Prælati omnes mali & hypocritæ sint.

Secunda lectione asseruit, Papam & Monachos omnes piscatores esse diaboli: hos præcipue, qui contra hæreticos inquirunt, & eos persequuntur. Dixit item, neminem jam habere Spiritum sanctum, sive Papa, sive Imperator, sive Rex sit, vel alterius conditionis.

Tertia lectione dixit, Concilia esse traditiones & inventiones hominum: & quod jam nullus est verus doctor in Ecclesia, quodque omnibus bonis destituta sit. Fessus est etiam, quod verum Evangelium est extra Ecclesiam, & quod posset hoc tutari contra Augustinum, si vellet.

Quarta lectione mira arrogantia protulit, ecclesiam veram non esse apud nos, cum ipsa sponsa sit absque ruga & immaculata, nos vero impii & manifesti peccatores: quod secesserit in desertum, ut mulier Apoc. 12, terque aperte vocavit Ecclesiam Romanam Babylonicum scortum, & jugiter in Pontificatum ac ecclesiasticos debacchatur. vid. pag. 308. sq. Opp. Scalichii.

Ad primum igitur veritatis amore ductus respondit: Romanum Pontificem esse talem, ut nullum excogitari possit malum, quod in eo non regnet: sed quod omnes Cardinales & praelatos sub eadem specie mali collocaverit, injuriam ipsi fieri, cum Deus certum sibi adhuc ex omni genere numerum reservarit, qui non curvaverint genua ante Baal.

Ad secundum reposuit: Pontifices, Cardinales, Episcopos, & reliquos ecclesiastici ordinis status, Monachos & Anachoretas (ut non omnes, cum & inter monachos pii viri inveniantur) esse pisces non hominum, sed cumularum opum, existimationis, auctoritatis, & retinendae dignitatis: non coelestium & spiritualium, sed carnalium & terrestrium. Plurimos piscari, qua ratione pios viros falso deferant. Neminem habere Spiritum S. nisi credentes in Christum. Neque Papam, neque Imperatorem, neque Reges &c. signari Spiritu S. nisi crediderint in Christum.

Ad tertium regressit: In conciliorum celebratione etiam irrepsisse humanas subinde traditiones, at non esse fugiendas, nisi prophetis & apostolicis scriptis contradixerint.

Ad quartum denique dixit: Ecclesiam, quam Paulus describit Eph. V. quæ est ab omni labe libera, abvolasse in desertum, ut Apoc. 12. Non negaretamen se Ecclesiam, quæ definitur Exod. 12. Levit. 8. Num. 20. Matth. 13. & in parabola de decem virginibus.

Simul cum hac responsione Cæsari obtulit lectiones istas, quæ illos motus excitaverant. Quibus ille perlectis, placide Scalichium ita allocutus est: *Ego te non pro lectore inter Aulicos meos connumeravi: majora te spectant, si tu te rectius composueris. Spero, quod in posterum hanc sparsam de te famam ostendes esse nullam: neque volo, ut diu legas, sed aliquandiu tuas lectiones patiar, donec te declaraveris innocentem esse; statim enim Villinus veniet, & tum confestim cessabis, nec te sine mea licentia amplius talibus rebus immisceas.* vid. p. 310. l. c.

Hinc Scalichius, gaudio triumphans, publice de memoratis modo articulis differere animum induxit; sed ne id fieret, Clerimolina effecerunt. Singulis lectionibus adversarios forti animo provocabat, ut, si quos foveret, errores refellerent ipsi, atque in apricum deducerent. Sed ea ipsi felicitas haud obtigit. Interim ejus inimici omnem

moverunt lapidem, ut Villinus e balneis revocaretur, atque ita Noster a theologica Cathedra arceretur. En ipsas Scalichii querelas, hanc in rem l. c. effusas: *Non cessabant subinde Canisiani & Dominicani illi centauri, Cusmanni & Jone, basilisci illi, quos etiam serpentes fugiunt olfactu necantes, non cessabant, inquam, singulis quasi momentis, istorum aures pulsare, ut mihi prohiberetur lectio. Et velocissimo cursu, quasi semivivus, ex thermis revocatur bonus Villinus: quo viso, mihi cessandum illico fuit, idque magna cum tristitia omnium auditorum.*

Interea nec Scalichius rei bene gerendæ opportunitatem neglexit: verum commodam adversarios ad disputandum provocandi occasionem avidè præstolans, voti tandem sui damnatus fuit. Maximiliano enim Regem forte Gratii commorante, Imperator cum altero Filio, Archiduce Carolo, venatum in Novam Civitatem, octo miliaribus Vienna distantem, se contulit. Occasionem ergo, fronte tantum capillatam, Noster cupide arripiens, consentiente Facultate theologica Viennensis Academiæ publico disputantium examini hanc Quæstionem proposuit:

Utrum bona opera conscientias reddant pacatas, in nosque effundant benedictiones spirituales, cœlestes & divinas, quibus ad reconciliationem & vitam æternam nobis opus sit? Hæc ex novem positionibus eam formavit Conclusionem: Con-

Concludimus ergo, quod bona opera primario & per se necessario quidem requirantur ad testificandam veram fidem; sed non satisfaciant legi Dei, nec reddant pacatam conscientiam, sed quod propter Christum per misericordiam reputemur justi, & consequamur vitam eternam. Dissertatiunculam hanc illius Opera p. 312. sqq. exhibent. Iphis Scalichii verbis exponere lubet, quid contigerit, cum hæc disputatio publice ventilaretur. Ita autem ille p. 311. Id ubi Monachi & Jesuitæ vidissent, per homuncionem quendam nomine, inveteratam Simiolam Hispanicam, Jacobum de Narragonia, impedire conabantur. Et licet nil expedire possent, ut disputationem tamen, quæ illis visa est hæretica, impedirent, ad Regem miserunt: & antequam rediret nuncius, disputatio feliciter finita est. Nam & Monachi & Jesuitæ mihi consenserunt: Hispanulus vero præ furore nesciens, quæ garriret, strepitu & sibilis explosus est a toto collegio, presentibus aliquot auditorum millibus. Imo tandem ad eum portum applicavimus, ut justificationem in sola fide consistere probaverimus, quemadmodum & conclusio mea habet.

His ita gestis, Imperator ipsum confestim Vienna egredi, aliamque Academiam, Pontifici addictam, adire jussit: qui vero Tubingam concessit, ibique una cum Petro Paulo Vergerio anno adhuc 1561. commoratus fuit, teste Martino Crusio in Annal. Suev. P. III. L. XII. f. 710. Hæc loci A. 1558. Dialogum de Missa scripsit, quod ex ipsius dedicatione ap-

paret: nec non Glossam in 32. Articulos Canonis Missæ, licet in calce dedicationis se eam Romæ ex castro Angeli dedisse lepide finxerit: item Epistolam ad Romanum Antichristum, & forsitan etiam alia. Quid cæterum hic egerit, ex parte sequentia Melchioris Adami in Vita Samuelis Heilandi verba nos edocent: Cum Scalichius quidam, magno & antiquo genere Comitum, ut præ se ferebat, ortus, Tubingam appulisset, & omnium scientiarum mysteria exiguo tempore, se docturum alios polliceretur: Heilandus inauditam illam methodum etiam condiscere voluit. Verum Comitis istius jactantia, ut & alius cujusdam Comitis, qui se Oratoriam uno mense exacte docturum pleno ore dictitabat, fumo levior & brevior fuit. Vide ejus vitas Philosophorum Germanorum p. m. 376.

Tempore procedente in Alberti Brandenburgici, primi Borussæ Ducis, aulam delatus, blanditiis & assentationibus vana item doctrinæ & pietatis opinione, Thuano iudice, adeo in favorem & consuetudinē illius se immergit, ut princeps multis maxime opimis prædiis amplissimisque possessionibus ipsum donaret, Scalichiusque omnia pro nutu & lubitu solus fere regeret. Tum temporis titulis supra dictis & hunc adjecit homo honorum ultra modum cupidus, ut se Cruciburgi in Borussæ Dynastam, ac perpetuum Borussæ Ducis Consiliarium nominaret. Principis autem
gra

gratia & ingenio abutens, quo potentiam suam magis firmaret, ipsi persuasit, ne Prutenis suis nimium fideret, Germanos acerbissimo prosequentibus odio: auctorque illi fuit, ut Borussis primariis dignitatibus amotis, summam rerum Germanis crederet. Atque ita effecit, ut præcipuis aulæ ministris, qui antea ejus ausibus renitebantur, in suspicionem adductis & remotis, alii, ad ejus voluntatem nutumque compositi, surrogarentur, videlicet Matthias Horstius, Jo. Funccius, hæcenus concionator aulicus, cæterum chronologico opere clarus, Steinbacchius, & Jo. Snellius. Sed remotorum procerum querelis, novorum consiliariorum flagitiis & iniquitate, aliisque rebus permotus est Sigismundus Poloniæ Rex, ut commissarios, quos vocant, vel delegatos in Borussiam mitteret A. 1566, cum regio decreto, quo Paulus Scalichius ex toto regno & ducatu proscribatur, prædiorum donationibus illi ab Alberto factis abolitis; ac veteres consilarii restituebantur, novis a dignitate remotis, & ex vinculis causam dicere jussis, qui tandem, tanquam publicæ tranquillitatis turbatores, ad mortem damnati sunt, soli Steinbacchio vitæ gratia facta. Scalichius, quem Chytræus in Chronico Saxonix f. 630. *ingeniosum & vafrum, at vanissimum hominem* nuncupat, tempestatem imminentem prævidens, specie legationis in Galliam ad petendam juniore Duci sponsam

regiam, eum triginta equitum comitatu, abiit, excessit, evasit, erupit. Pluribus de his qui instrui cupit, adeat Chytræum l. c. & Thuanum Histor. L. XXXVIII. f. 773. sq. edit. Francof. 1625. quorum relationes nos heic in compendium redegitimus.

Exinde rebus conclamatis & ad ultima detrusis, homo Vertumno mutabilior ad vomitum rediit, & Pontificis partibus iterum se adjunxit, quas ante tanto ardore & Zelo, ut videbatur, refellere atque retundere consueverat, ut etiam in hac fide pro Christi nomine p. 269. Opp. mortem subire optaret.

Nimirum hac ratione aditum sibi rursus ad pristinos honores parare moliebatur, sed irrito conatu. Etsi enim Canonicus tandem Ecclesiæ pontif. Monasteriensis iniquis, teste Nic. Reusnero in iconibus, electus sit suffragiis; tamen pingues illas possessiones, quas olim in Borussia tenuit, nunquam recuperare potuit, operam licet suam pro ipso interponentibus consiliariis regiis, quorum animos, religionis forte mutatione aliisque artibus, sibi iterum conciliaverat. Obiit igitur inglorius & infelix A. 1575. mense Majo vel Junio, ætatis circiter 44. Dantisci, quo ad res suas eo melius curandas concesserat, ibidemque absque omni funebri pompa sepultus fuit, memorante Christophoro Martenoch in Historia Borussiae Ecclesiastica, vernaculo sermone edita, Lib. II. C. IV. p. 440. ubi & ejus epitaphium extat: Sca-

*Scaliger illustri quamvis de stemmate natus,
Exiles habuit funeris exequias.*

Ego hæc Juvenalis illius sepulcro jure merito-
que inscribenda esse existimo, binis tantum
adjectis voculis:

*Scaliger inconstans nimios optabat honores,
Et namias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immanè ruina.*

Hartknochius præter alia de ipso refert, Pe-
trum Sikiu, in Academia Regiomontana
Theol. Prof. Ord. in Oratione *de Statu Ecclesia-
rum Prutenicarum* A. 1572. habita, ei objecisse,
quod, cum ante, in Ducatu Borussico degens,
sæpissime se Christi Exulem vocitaverit, ma-
lignus jam Evangelicæ veritatis, cujus gratia
factus fuerit extorris, reclamante conscientia
desertor evaserit: tum Scalichium peculiari
scripto, huic orationi opposito, respondisse;
quod Christi exulem autem se nominaverit,
ex hac ratione factum esse, quod in Borussia
Ducatu extra Romanæ Ecclesiæ promœria in-
ter hæreticos vivens, revera a Christo & ve-
ra Ecclesia exulaverit.

Laudatus autor eundem l. c. p. 455. sqq. in
crimen magiæ vocat, qua suffultus tantos sibi
honores & extraordinarium Principis sui fa-
vorem conciliaverit, affertque ibi magicum
aliquem ejus nummum. Sed hanc teneo
sententiam, Gabr. Naudæo non defutura
fuisse ab hoc crimine eum liberandi argumen-
ta,

ta, si ejus causam agere ipsi libuisset in *Apolo-
gia Virorum illustrium, Magia false suspectorum,*
Gallicano sermone edita. Nec dubito, haud
pauca ex iis, quæ ille de H. C. Agrippa p. 285.
sq. & de Jo. Pico Mirandulano p. 358. sq.
differuit, ejus quoque defensionis inservitura
esse. Sæpius contigit, ut hujus criminis insimu-
larentur ei, qui Cabalistica Judæorum arcana
in deliciis & oblectamentis habuere, crebram
illorum mentionem passim in scriptis suis fa-
cientes, quod de Scalichio constat.

Nicolaus Reusnerus Nostri effigiem exhi-
bet in Iconibus seu Imaginibus Virorum literis
illustrium, Argentorati A. 1590. in 8. excu-
sis, p. 366. eique hoc distichon subjecit:

*Regulus Hunnorum, Scælarum heres gloriæ esse
Gentis: Sacrificus Cæsaris, inde Pape.*

Idem p. 367. sequenti ipsum elogio maectat:
*Paulus Scælichius, Comes Hunnorum, Marchio Ve-
ronæ, e prisca illa Scalana gentis familia principe
originem vendicans suam: Mystice Philosophie &
totius Encyclopediæ scientissimus: Quod velle uno
Catholico Episcopate, quo universus orbis tam sacræ-
rum quam profanarum disciplinarum, omnisque
omnium sectarum & philosophiæ doctrina catholica
declaratur, satis apparet: sed idem in Theologia alter
sui temporis Ecebolus: olim Ferdinando Aug. Cæs. a
sacrificio Missæ: fidei post aliquandiu professionem in
Borussia simulans Evangelicæ: tandem Canonicus
Eccles. Pontif. Monasteriensis iniquis electus suffra-
giis: partes Antichristi Romani, quas antea oppu-*

gnaverat, scriptis propugnans suis: multis varian-
tis fortunæ exercitus casibus, vitam in terris clausit
suam, sine incerto. Unde Reüsnerus cogno-
verit, illum Ferdinando Cæsari fuisse a sacri-
ficio Missæ, ego quidem nescio: hoc ejus libri
testantur, in aula Viennensi aliquandiu esse
versatum; singularique Imperatoris favore
ulm, ejus autem officii ne unicum quidem
vestigium ullibi deprehendo.

Jacobus Thomasius haud abs re in oratio-
ne de Syncretismo Peripatetico, cæteris il-
lius orationibus inserta, p. 340. ita de eo scri-
bit: *Scalichius se comitem Hunnorum vocans, &
Veronensium Scaligerorum genus jactans, inque
aulas principum Germaniæ nescio cujus occultæ sa-
pientiæ simulatione penetrans, quoties eum cogito,
Doctõris Burri recordationem ingerit mihi. Nau-
dæus l. c. p. 360. haud injuria eum ob Con-
clusiones Bononiæ defensas præcocibus in-
geniis accenset.*

In plerisque scriptis obscuritatis laudem, si
qua est, captare voluisse videtur. Et fateor,
eorum lectores haud difficulter induci posse,
ut illa præ indignatione projecta æternis te-
nebris digna esse censeant, Augustini ex-
emplum secuti, qui Persium ob dictio-
nem supra modum horridam & involutam
in ignem abjecisse perhibetur, his additis ver-
bis: *Quia non vis intelligi, nec debes legi.*
Qua de re cordatus Theologus Jo. Valentinus
Andrææ in Mythologia Christiana pag. 137.

Scalichium inter eos refert, de quibus acute ita
 judicat: *Is datum, res nostras omnes medicare,
 auritos nos, oculatos, vocales, volatilesque fa-
 cere. Est tamen aliquid, quod felicitatem nostram
 impediatur, quoniam non illi nos, non nos illos
 intelligimus. Nam quæ illorum est Persica, Chal-
 daica, Brachmannica, Druidica, Fessana, Da-
 marica lingua, quæ picturæ sunt, divinationes,
 triplicitates, & paradoxa, ea haud prius nobis
 vitam reformabunt, quam artis terminos capia-
 mus.* Hæc Vir eximius. Ita obscure & æni-
 gmatice v. g. scripta est Revolutio ejus Al-
 phabetaria seu perfectissima ad omnes scien-
 tias methodus, qua egregiam (scilicet!)
 viam patefecisse se arbitratur, brevi in sum-
 mum eruditionis fastigium ascendendi: si-
 quidem in Dedicatione ad Carolum, Au-
 striæ Archiducem, varia exempla recenset
 eruditissimorum virorum, quos hac ratione
 in supremum doctrinæ culmen penetrasse
 existimat.

Tam densis etiam tenebris involutæ sunt
 ejus Theses Philosophiæ Mysticæ, seu occulta
 occultorum occulta. In præfatione his inter
 alia ad Ferdinandum Aug. p. 105. utitur ver-
 bis: „Ea, quæ alii involucris ænigmatum
 „& fabularum, aut perplexa verborum se-
 „rie, aut rudi contextu sermonis tradide-
 „runt, ego clara & manifesta reddidi (men-
 „tiris: imo magis contorta & tenebricosa:)
 „unicaque maxima velut clave plurima se-
 creta

„creta obseravi, ne arcana & abscondita sa-
 „pientum doctrina ad insipientum manus
 „perveniret: ac singulis vel minimæ litera-
 „turæ hominibus etiam mulierculis, laniis
 „& cerdonibus rudibusque agricolis, id quod
 „hodie proh dolor contingit, de maximis
 „fidei mysteriis altercari, & cuncta profa-
 „nare liceret &c. “ Caput primum; ut ejus
 rei specimen aliquod habeas, his conceptum
 est verbis. „De Secreto, cuius non est simile.
 „Qui scit, quomodo non occultum, quod
 „est non occultum non occulti, & occultum,
 „quod est occultum occulti, sibi invicem
 „non contradicunt: sciet, quomodo Aca-
 „demici, Stoici, Peripatetici & Epicurei,
 „potissimum autem ex his Plato & Aristo-
 „teles, concordent: item Albertus Magnus,
 „Henricus Gandavenfis, Egidius Romanus,
 „Franciscus de Majoronis: præsertim au-
 „tem D. Thomas de Aquino, & Joannes
 „Scotus: item Arabes, Græci, Chaldæi,
 „Hebræi, inter hos Pythagoræi & Cabalæi,
 „Orphici & Symb. Gymnosophistæ & Thera-
 „peutæ, Magia & divinarum rerum naturalium-
 „que sapientia, scriptura & scriptura, Chri-
 „stiani & Judæi: inter Arabes Averroes,
 „Avicenna, Alpharabius, Avempalen, Isaac,
 „Abumaron, Moyses, & Mahometh: inter
 „Græcos Theophrastus, Ammonius, Simpli-
 „cius, Alexander & Themistius, ex Peripateti-
 „cis; Plotinus Ægyptius, Porphyrius Tyrius,
 Jam

„Jamblichus Chalcidius, Proclus Lycius & Adelandus Arabs, ex Platonicis: inter Hebræos „Rambam, Johanan, Rabi Eleazar, Salomon „commentator, R. Moyses, R. Azariel, R. „Hamai, David Kimchi, R. Jacob Cohen, „R. Joseph ben Carnitoli, & cæteri particu- „lares in diversis professionibus autores, „Theologi, Jurisperiti, Medici & Philosophi. Quod est Secretum, cujus non est simile. Cap. II. agit de modo procedendi in occultis occultorum occultis. Cap. III. de mysteriis Hebræorum. C. IV. de Myst. Chaldæorum & Ægyptiorum. C. V. de Myst. Persarum. C. VI. de Myst. Orphicis. C. VII. de Myst. Pythagoricis. C. VIII. de M. Arabum. C. IX. de M. Græcorum. C. X. de M. Latinorum. Denique Cap. XI. hunc profert Canonem omnium Canonum: *Qui scit Brest juxta Pici profundissimam inquisitionem exponere; sciet, quomodo pater in filio & per filium, principium & finem sive quietem creavit caput, ignem & fundamentum magni hominis, fœdere bono: intelliget illud, Ego sum & ω, Ego sum via, veritas & vita: sciet totam virtutem & naturam omnium, que in mundo angelico, cœlesti & sublunari sunt: & quomodo non sit aliquis unus ex eis, in quo non omnia sint, que sunt in singulis: & quomodo hic omnis cognitio, omnis motus, & omnis generatio consistat. Hic totus apex, tota omnium sensuum sacre Scripturæ latet scientia: quam adhuc resecretam nemo reliquit, quia est prima &*
 priu-

*principalis ex secretis secretorum. Librum huic
sequenti carmine obfignat:*

*Qui hæc non assequeris, ne fœdis excipe san-
nis:*

Est stolidi ignotos carpere velle lares.

*Qui vero dubitas, quasi non sim certa locutus:
Adsis, solventur scrupula cuncta tibi.*

Maxima veneratione Joh. Pici Mirandulanæ
manes prosecutus est, quem sibi potissimum
imitandum proposuit. vid. ejus Encomium
Scientiarum. p. 750. Thuanus autem l. c. ju-
dicat, Scalichium eruditionis variæ speci-
men editis aliquot libris æmulatione magnæ
illius Pici, ut doctrina longe inferiorem, sic
moribus longe disparem dedisse. Pythagoræ,
Platonis & Cabalistarum præcipue dogmata
secutus fuit, Philosophisque invicem con-
ciliandis operam dedit. Itaque Picum æmu-
latus Libri de concordia Aristotelis cum Pla-
tone magnificis verbis spem fecit, sed va-
nam. vid. Jac. Thomesium l. c. pag. 340. &
Observat. Halens. Tom. III. p. 265. Morho-
fius in Polyhistore passim etiam de Scalichii
scriptis judicium fert.

Cæterum adhuc observo; ipsum summo
jure in Plagiariorum censum referendum es-
se: tractatum enim, qui hoc titulo ab eo in-
signitur: *De Justitia æterna, seu de vera pro-
missione Gradatio*, fere totum ex rarissimis
Augustini Steuchi Eugubini de *perenni Philo-
Class. VII. Fasc. VI.* Yyy soz

sophia libris, Basileæ A. 1542. in 4. impres-
 sis, exscripsit. Primas statim paginas pene
 integras verbotenus impudentissimus Pla-
 giarius ex Steucho hausit, periodorum dun-
 taxat ordine paululum immutato, ita tamen,
 & ne verbulo quidem fontis, unde sua de-
 rivavit, meminerit: si excipias binos locos,
 libri fere medium occupantes, ubi Steu-
 chum, cujus plumis superbire gestiebat, p.
 239. & 240. sub nomine Antistitis Kisami
 allegat, eumque Virum omni scientiarum
 genere refertissimum appellat, nulla tamen
 ejus mentione facta, quod plurima hujus
 libri ipsi accepta ferenda sint.

Opera ejus, quorum jam maxima ex par-
 te contr. Bibl. Lugd. p. 497. titulos superius
 occasione oblata attigimus, cura Jo. Opo-
 rini Basileæ 1559. in 4. junctim edita, nunc
 aliquanto rariora, sunt sequentia. Encyclo-
 pædiæ seu Orbis disciplinarum tam sacrarum,
 quam profanarum, Epistemon. p. 1. Theses
 Mysticæ Philosophiæ. p. 104. Eulogus, seu
 de anima separata ejusq; passione Dialogus.
 p. 146. De Justitia æterna, seu de vera pro-
 missione Gradatio. p. 220. Exilium seu de
 vera Christi doctrina & de sola fide justifi-
 cante Ephesia disputatio. p. 267. De Chorea
 Monachorum seu cœtu Antichristi. p. 317.
 De Labyrintho Romani Antichristi p. 361.
 De Illustrium Virorum Origine. p. 382. Re-
 volutio Alphabetaria, seu perfectissima ad o-
 mnes

mnes scientias Methodus. p. 418. Dialectica
 contemplativa ad consequendos scientiarum
 habitus perquam utilis ac necessaria. p. 533.
 Conclusiones 1553. in omni genere scientia-
 rum, quas olim Bononiæ disputandas pro-
 posuit. p. 548. Dialogus de Missa. p. 630.
 Glossa in 32. Articulos Canonis Missæ ex A-
 postolo. p. 646. Epistola ad Romanum An-
 tichristum. p. 660. Encomium Scientiarum.
 p. 688. Hartknochius l. c. provocat ad li-
 brum, Coloniae A. 1573. ab eo contra Pruf-
 sos & præsertim contra orationem Sikii luci
 publicæ datum, nec non ad Scholia contra
 D. Stoji Vaporem. Thuanus quoque illius
 libellorum famosorum, Poloniae Regis de-
 creto damnatorum f. 774. meminit In Ca-
 talogo Bibliothecæ Martini Fogelii Hambur-
 gi 1679. impresso, habentur Scalichii Satyræ,
 Philosoph. in forma, uti vocant, octava excu-
 sæ, M. 4. B. Gotofr. Olearius ad Stanleji Histo-
 riam Philosophicam, eum quoque de Py-
 thagoræorum placitis scripsisse, observat. For-
 te hoc nomine tantum indigitatur Caput VII.
 Thesium philosophiæ Mysticæ, quod de
 Mysteriis Pythagoricis agere
 supra diximus.

Analec̃ta quædam Anecdota

ad

Historiam Ecclesiasticam seculi
XV. facientia

cum Notis

*Eilhardi Folcarthi HAR-
KENROTHII,*

A.

Literæ, quibus Antiphona in hono-
rem S. Mariæ instituitur.

FRater Martinus de BLYA, Doctor & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Magionensis, Reverendi in christo Patris & Domini, Domini (e) *Walravii de Moersa*, eadem Gratia electi & confirmati maximi nostri Pontificis Vicarius generalis, Universis & singulis tam præsentibus quam futuris, ad quos præsentis nostræ literæ pervenerint, salutem in Domino æternam. Dum præcella meritorum insignia, quibus cœlorum Regina, Dei Ge-
ni-

nitrix gloriosa, (a) sedibus plantata sideri-
 bus, quasi stella matutina, (b) præ utilitate
 considerationis indagine præservanda
 sunt. Dum etiam (c) Ecclesia inter pe-
 ctora volvimus, qua ipsa, utpote mater
 omnis gratiæ & pietatis avitæ, humani ge-
 neris consolatrix, pro salute fidelium, qui
 delictorum onere pergravantur sedula ex-
 oratrix & pervigil ad Regem, quem ge-
 nuit, intercedit, dignum, quin potius de-
 bitum arbitravi, ut Christi fideles ad ejus-
 dem laudem frequentandam gratiosis remis-
 sionem prosequamur impendiis & indul-
 gentiarum decoremus muneribus. Cum
 igitur (β) Clerus & Principales in Eccle-
 sia Sanctorum Cosme & Damiani nostro
 in oppido Emedensi (γ) antiphonam de
 ipsa eadem cœlorum regina ipsis Compe-
 tentem quotidie decernerint post summam
 missam decantandam. Nos vero devotio-
 ni eorum congratulantes omnibus vere
 competentibus, confessis & contritis, qui
 dictam antiphonam, dum sic ut pro millibus
 cantatam cum versiculo & collectam ad fi-
 nem cantaverint, vel audierint; vel qui
 post missam auditam, benedictionem Sa-
 cerdotalem susceperint, toties quoties pro-
 missa, vel aliquid promissorum devote ad-

Yyy 3 imple-

- (a) Anne legendam; *coelestibus*. T. d. H.
 (b) Quid si legeremus *eminet pia*. (c) Et hanc vocem
 aliter in autographo legi suspicor, forte *Orationem*.

impleverint, Dei omnipotentis divina gra-
tia ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum
ejus autoritate confisi, quadraginta dies in
dulentiarum ex potestate Domini nostri
in Domino maceramus. Has nostras literas
desuper confectas nostrique sigilli appen-
sione munitas in testimonium concedentes.
Data Anno Domini millesimo quadragen-
tesimo quinquagesimo tertio mensis Janua-
rii die secunda.

*Walravius de Meursa, Pontificis Vica-
rius Generalis hic nominatus idem esse vi-
detur, de quo Heda in Suedero & Rudol-
pho, & Jacobus Revius in Daventr. illustra-
ta p. 95. & sqq. & Albertus Crantzius Saxon.
lib. II. cap. 26. & 27. & Anton. Matthæus
anal. 6. & 9. agunt cujus fata breviter hæc
sunt. Quum Fridericus Blankhemius Ul-
trajectinus Episcopus 1423. Vollenhoæ vi-
vis excesserat, de novo præfule eligendo
magnis contentionibus agebatur, studiis pro-
cerum in diversa accensis. Certatim eam
dignitatem expetebant, hic memoratus *Wal-
ravius Meursensis, Assuerus Culenburgius & Ru-
dolphus Diepholdius. In Diepholdium suffra-
gia 1424. contulere maxima cleri pars, ve-
rum adversæ partis artibus Romæ effectum,
ut Martinus V. pontifex Diepholdiam mitra
exornare noluerit, adeoque titulo tantum
postulati Episcopi rerum Ultrajectinarum mo-
deramen suscepit. Interim Assuerus Culen-
burg-**

burgius à Pontifice Trajectensium præsul appellatur, qui à suis destitutus Basileam profectus est, ubi studio Sigismundi Imperatoris concilium congregatum erat 1431. ad Ecclesiæ abusus emendandos, Schismaque, quod ultra triginta annos jam duraverat, tollendum, ast ibi è vivis excessit. Jamque finis turbarum fore videbatur, sed cleri pars Culenburgium sequuta, quæ hæctenus Dordraci morata fuerat, in Culenburgii locum, *Walravium* hunc Meursensem sufficit, interim Diepholdius à Pontifice Eugenio IV. Voltenhoæ per Monasteriensem & Mindensium Antistites mitra exornatur, exigua spe relicta *Walravio* de Meursa: Licet cleri pars ipsi addicta, ut Eugenii acta rescinderet, Meursensem, Antistitem Trajectinum appellaverit, quæ sede Dordraci electa Diepholdio tam diu adversata est, donec per Cardinalem Cusanum dissidium illud penitus extinctum est, Diepholdio rerum arbitrio permisso, inque eadem dignitate mortuo 1455. totum hoc litigium, non in elegante stilo, ut tum tempora ferebantur, *Henricus Brumanus*, in rebus suis transisulanicis conscripsit. Vide *Gerhardi Dumbari Anal. tom. 2.* Eodem tempore videtur *Walravius* vicarii generalis titulo exornatus fuisse.

β. Clerus & Principales tum temporis in Ecclesia *Emedensi* hodie *Emdensi*, antiquioribus

Emetbenfi fuerunt; *Johannes VREDEWOEDIUS*, decretorum Doëtor Canonicus, Bremensis, præpositus Emedensis & curatus Ecclesiæ S. Martini Groningæ. *Johannes LUDOLPHI*, sive *Ludemani* Ecclesiæ Emedensis Curatus, sive pastor, de quo plura in sequentibus dabimus. *Reinerus Nicolai*, Baccalaureus Juris Canon. Vicarius Sanctæ crucis & magnæ phalernæ curatus. Templum magnum Emedense Sanctis Cosmæ & Damiano consecratum fuisse, plurima documenta apud me reservata probantur, vide quæ jam ad chron. Eggerici *Beminga* p. 498. & 604. annotavimus.

γ. *Antiphona* apud veteres Christianos nota, qua invicem in cantionibus duo chori sibi respondebant; quæ à Græcis, ut nomen indicat, orta, apud Latinos, præsertim apud *Ambrosium* in usu fuit. Et *Gregorius Magnus*, Romanus, ex Monacho & Diacono Pontifex factus 590. scholas etiam Cantorum instituit, & *Ambrosii* more Ecclesiasticas cantiones, quas Græce dicimus *Antiphonas* composuit. Certe *Joh. Baleo* in actis pontif. lib. 2. p. m. 45. *Antiphonæ* autem differunt à *Responsariis*, ab Italis inventis, ita, ut *Antiphonæ* à multis, *Responsariæ* ab uno tantum canerentur, ut docet *Isidorus Hispal.* Orig. lib. VI. Cap. 19. An vero Emdani statim promissis steterint, & talem *Antiphonam* adornarint, an vero sua promissa di-

distulerint, non affirmo, observavi tamen quod Clerus & Principales Ecclesiæ Emeden-
 sis 1516. 1517. persolverint Syio Monachis nummos pro emta Antiphona. Johannes Henlin librum scripsit impressum olim Basileæ apud Michaellem Furter 1504. hac inscriptione, teste Conradi Gesneri Biblioth. *Expositio Antiphonæ seu Cantici, Salve Regina, authoribus prophetis, Biblia, Sanctorum patrum, doctorumque dictis ac historicis decorata.* Et in Testamento Arnaldi ter Niesen Canonici Ecclesiæ & Mariæ Trajectensis 1351. ordinatum, quod quum Antiphona de domina nostra, videlicet *Salve Regina* post completorium diebus Sabbatinis in adventu Domini, & à Septuagesima usque ad vigiliam Basiliæ inclusive cantatur, Canonici & Vicarii in decantatione Antiphonæ prædictæ corporaliter præsentem & in choro psallentes, quinque habeant solidos bonorum inter se dividendos. Ant. Matth. anal. veteris ævi tom. 2. p. 519. &c. vide & Tom. 3. p. 399. Quænam vero causa fuerit, quod Emdani talem Antiphonam promiserint, haud facile est dictu; Meam conjecturam lectori hic aperiam. Constat mihi ex historiis, quod Pontifex Nicolaus quintus Emdanorum templum turrisque fores a. 1450. claudi voluit, quod etiam post elapsam seculum tempore Interimistico 1550. denuo factum, adeo ut sacra in illo peragere non licuerit, quæ vero istius

fulminis vibrati origo fuerit, plane igno-
 itum; ego putem, quod Civitates Hansea-
 iticæ nostrates Frisios, præsertim Emdanos
 apud Pontificem accusarint, quod illorum
 naves pyratis impletæ, mercatorum navi-
 bus oneri & damno essent: in quibus con-
 firmor, quoniam Frisii hoc tempore 1450.
 consilium ceperant, dejectam Sibeti aut Si-
 boldi arcem restaurandi, ut pyratarum ite-
 rum asylum esset, hinc prædictæ urbes Bre-
 unæ decreverunt, se velle illud quantum
 pote, impedire. Ut vinculis vibrati fulminis
 liberarentur Emdani se ipsos voto obligasse,
 videntur, in honorem divæ Mariæ talem
 Antiphonam in illo templo in posterum ha-
 bituros post summam missam, & ad augen-
 dam erga Mariam devotionem; illis qui il-
 lam cantaverint, vel audierint, &c. pro-
 mittuntur papali auctoritate indulgentiæ per
 quadraginta dies ut supra memoratum *χρει-
 υεσφορ* plenius docet.

B.

*Immunitas concessa Vicaria recens
 instituta.*

(u) Officialis terræ Frisæ Monasteriensis
 „dioceseos Universis & singulis ad
 „quos præsentis nostræ literæ pervenerunt,
 „salutem in Domino sempiternam. Noveri-
 tis,

„tis, quod cum nuper Okelo Fockenade (s)
 „Betteweer Oppidanus, dederit oppido Gro-
 „ningen de anno Domini millesimo quadra-
 „gentesimo septuagesimo die lunæ post An-
 „dreæ, in usum cujusdam (γ) vicariæ de
 „novo erigendæ nonnulla prædia, in medio
 „prædiorum suorum pie erogavit, & deputa-
 „vit prout hæc in literis desuper confectis
 „plenius continentur, prout tum, de novo
 „declaramus, hujusmodi bona (δ) a tempo-
 „re donationis peractæ libertate potiri de-
 „buisse & debere Ecclesiastica, neque sine sa-
 „cilegii reatu se præter & contra tenorem
 „ejusdem donationis se intromittere aliquis
 „potuit aut valebit, & nihilominus debita
 „desuper cum instantia requisiti eandem do-
 „nationem, sicut, proinde statuta est appro-
 „bamus & confirmamus, bonaque in literis
 „expressa quatenus opus fuerit, Ecclesiasticæ
 „libertati adscribimus, usumque pro tanto
 „cominus incorporamus, & certificamus de-
 „cretum nostrum, & ordinariam interponen-
 „tes auctoritatem. Datum Anno Domini mil-
 „lesimo quadragentesimo septuagesimo nono,
 „feria sexta post Dominicam jubilate.

(L. S.)

α. *Officialis* dicitur is, qui Episcopi nomine
 peragit, illa quæ ipsemet alias facere tenetur,
 habetque potestatem in nonnullis alium sub-
 stituendi, qui tum vocatur *Commissarius*, ali-
 quum

quum officiales nonnunquam plus æquo rigi-
diores viderentur, hinc nati in illorum op-
probrium sequentes rythmi.

*Officit est verbum, crudele nimis & acerbum,
Dicitio plena malis, hinc dicitur officialis.*

β. de *Betteweer*, antiquioribus temporibus
Betewera in fertili solo sita, habuit incolas
divites, ast nunc uterque antiquus & hodie-
rus pagus *Betteweer* aquis marinis submersus.
Vide quæ de illo pago annotavimus ad *Egger*.
Ben. Chron. p. 172. 590. Et videtur fami-
lia *Fokkena* in re lauta fuisse *ibid.* p. 376.

γ. *Vicaria de novo erigenda*, ast in quo loco
non memoratur, forte in Hospitalitio Sanctæ
Gertuidis Groningæ, cui ad subsistendum non-
nulla defuere, ut constat ex collecta quam
instituerunt Curatores istius Hospitii, emolu-
mentum; ut constat ex literis Rudolphi Agri-
colæ ad fratrem suum Joh. Agricola[m] datis
1483. Sabbato post corporis Christi, quas in
lucem protulit Alardus Amsterodamus 1539.
ubi p. 220. dicitur: Curatores Hospitalis San-
ctæ *Gertuidis* nostri, diligenter me orarunt,
ut accurate causam eorum commendarem ti-
bi. Cupiunt, ut mos eorum est, publicè
apud vos à populo rogare stipem, vel eleemo-
sinam in sumtus pauperum, quumque non li-
ceat vestris in locis in jussu Dominæ, cuiquam
publicam stipem petere, poposcerunt à me,
ut meis literis illorum ad te preces perferrem,
quo

quo adjutor & intercessor illis sis ad Dominam
sc. Comitissam Frisiæ Orientalis Thedam cui à
secretis fuit Johannes vel suadendo, vel mo-
vendo vel orando.

δ. *A tempore donationis.* Multos, dum ad-
huc in vivis erant, bona consecrassse piis
usibus, ut eo modo liberarentur à multis
oneribus; etiam nostrates hoc artificium
non ignorasse, alibi legi. Dicitur mortificatio,
vulgo *amortisatio* vocatur libertas Ecclesiæ, qua
imperio militari & tributis eximitur. Sic
legitur in charta 1473. magnis & largis suis
sumtibus amortisari fecit apud Matth. Tom.
Annal. 3. p. 406.

C.

Pietatis sive superstitionis papisti-
cæ exemplar.

P. Matthias Dresserus in Isagoge historica
quarta, & millenarii sexti parte. p. m. 44.
enumerat quinque apud Pontificios satisfac-
tionum gradus, quibus à Christo ad homi-
num merita traducti sunt, &, quod gratis à
Christo accipere potuerunt, id emere pretio
coacti fuere, ibique secundum satisfactionis
gradum nuncupat „*Fraternitates sive Mona-*
„*chorum collegia, in quæ coaptari cupiebant*
„*plurimi, ut sibi & aliis salutem & vitam me-*
„*rerentur. Has enim non alias officinas at-*
„*que*

que fontes bonorum operum esse plerique
 credebant, & qui Monachi ipsi esse minus
 poterant, pretio Monachorum merita eme-
 bant; ut affluentibus eorum operibus tan-
 quam rivalis irrigarentur. Nonnulli etiam
 cucullis induti, monachorum more sepelie-
 bantur.

Hujus satisfactionis gradus quum specimen
 singulare & rarum offenderim in Cive Em-
 densi, *Henrico Matthia*, Laico, ejusque uxo-
 re *Gheseke*, qui multorum ordinum & Mona-
 charum operibus adjuti salutem exspecta-
 runt, quumque in re lauta fuerunt, dubio pro-
 cul non vili pretio sibi ordinum merita procu-
 rarunt. *Henrici Matthia* uxor *Gheseke* soror
 fuit *Johannes van Wynssen*, (α) Emdensis per
 novennium Consulis, annis 1454. 1462. &
 1467. mortui 1483. quo anno etiam testa-
 mentum condidit, in quo sorori dimidi-
 am partem dedit ædificii, quod hi conjuges
 inhabitabant, at ubinam Emdæ illud ædificium
 steterit, docet sequens venditionis contractus,
 siquidem 1474. die Jovis post exaltationem
 crucis hi conjuges emunt Emdæ domum,
*staande tusschen der Swakenborg und des vor-
 noemden Hendrik Matthias huis.* Ast illud
Swakenborg hodie incognitum, licet & alio
 scripto has ædes anno 1475. sic ulterius de-
 scriptas legerim. *An en beneden der Swakenborg
 daal in de straten, die zich strekken van Galteken
 bues int Oosten bet an de diwarstraten agter de Oe-
 velgunne.* Hi

Hi conjuges 1464. fecerunt testamentum
 reciprocum, ut superstes defuncti bona hæ-
 reditario jure possideat, reservavit tamen
 uterque hoc sibi jus, ut uxor ducentos, Mari-
 tus quadringentos florenos die mortis legare
 possint, quibus velint, fuitque certificatum
 & corroboratum sigillis *Johannis Vredewoldii*
 Præpositi, & *Johannis Ludeman* curati Em-
 densis, quarto die post paschatos festum.
 Huicce & aliud superadditum est testamen-
 tum ab *Henrico Matthiæ*, ut videtur morti
 proximo 1489. quod licet pergameno etiam
 inscriptum fuerit, tamen multa in illo lege re
 non potui, à æneis & blattis jam erosa, ast
 quæ legi possunt tibi hic sisto Benevole le-
 ctor.

„In Nomine sanctæ & individuæ Trinita-
 tis Amen. Anno à nativitate 1489. indictio-
 „ne septima, die Mercurii duodecima men-
 „sis Augusti & Pontificatus sanctissimi in Chri-
 „sto, & nostri Domini Innocentii divina pro-
 „videntia papæ octavi, anno ejus quinto, in
 „mei Notarii publici testiumque infra scripto-
 „rum ad hoc specialiter vocatorum & rogato-
 „rum præsentia personaliter constitutus dis-
 „cretus vir *Henricus Matthias*, senior Laicus,
 „Monasteriensis dioceseos incola & Civi. Op-
 „pidi Emedensis æger corpore, compos men-
 „tis &c. --- elegit sibi sepulchrum in Eccle-
 „sia Monasterii Phalren, Ordinis Minorita-
 rum in Emeda. Constituit uxorem suam
 Gbe.

Gheseken legitimam hæredem bonorum suorum -- quod sigillis Magistri Johannis Fredewold Doctoris, præpositi Emedensis, nec non Domini Johannis Ludeman Pastoris Oppidi Emedensis---. In sui & uxoris salutem animarum præfatus Testator legavit Centum florenos Rhenenses ad pios usus religionis, & que loca sic distribuendos, ad Missale quoddam ad *summum altare*, Monasterio Phalerno Ordinis Minoritarum in Emeda, ubi sepulturam elegit, quinquaginta legavit florenos Rhenenses, & quadraginta ad fabricam ejusdem Monasteriensis Phaler, præcipue ad tectum ejus Ecclesiæ. Item Patronis suis sanctissimis Cosme & Damiano Ecclesiæ Emedensis, quadraginta florenos Rhenenses. Item legavit Monasteriis (α) Scholæ Dei, (β) Thedungen, Prædicatorum in Norda antiquo Monasterii, itidem (γ) Apper-

α Schola Dei, sic vocabatur Cœnobium ordinis Cisterciensis in Frisia orientali in præfectura Auricana. vide quæ notavimus ad Egger. Benenga Chronicon p. 121.

(β) *Thedungen*, in hac regione in Moermeria cœnobium virginum ordinis Benedictini.

(γ) *Appergadam* in agro Groningano, alias *Dammona* dicta, habuit parochiam, & cœnobium cum templo Ordinis Franciscanorum. Vide notas nostras ad Egger. Ben. Chron. p. 557. etiam cœnobium Monachorum ordinis fratrum eremitarum teste Ubb. Em. de agro Groningano p. 260. & claustrum *Oldeklooster* prope *Dammonam*, & *Feldvert* olim dictum, Monial. Ordinis Benedictini teste eodem Emilio. Vide quæ ad Egg. Ben. Chron. p. 294. observavimus.

„pingadam, (d) Reide, (e) Wolde, (f) A-
 „pel, nec non (g) Dickhusen, unicuique
 „unum florenum &c. Instrumenta acta fue-
 „runt in Domo habitationis ejusdem Testato-
 „ris secundum annum dictum, diem, men-
 „sem & Pontificatum, quibus supra præsen-
 „tibus ibidem egregiis & Honorabilibus Viris
 „Hickone de Dornum & Witmunda Capita-
 „neo, præposito Emedensi & Pontificio juris
 „Doctore, item Gerardo de Gelren, Oppidi
 „Emedensis Burgimaistro, Conrado Cro-
 „nis &c. nec non Conrado Bake, (h) Bern-
 „hardo Scriptore, Johanne Coquo, nec non
 „Hermanno pistore incolis & Civibus Civita-
 „tis Emedensis.

infra legebatur.

„Hic ego Otto nacke, electus Osnabur-
 „Class. VII. Fasc. VI. Z z z „gen-

- (d) *Reida* Monialium ordinis prædicatorum.
 (e) *Wolde* etiam Schilwolda dictum Monial. ordin.
 præmonstratensium.
 (f) *Apel* etiam *Thor Apel* in *westwoldiis* Monachor.
 ordinis Cruciferorum. Em. in agro Gron. p. 270.
 (g) *Dickhusen* Monial. ordinis prædicat. in hac regione
 in præfectura Greetzylana, prope Visquardiam si-
 tum. vide quæ annotavimus ad Egger. Ben. Chron.
 p. 681.
 (h) *Bernhârdo* Scriptore, hic meo judicio idem est,
 alias *Bernhardus ter Kamp* dictus, qui 1524. vingen-
 tibus licet pontificiis *Georgium Aportanum* purioris
 religionis apud Emdanos in Ministerio primum pa-
 storem in suggestum templi magni duxit. Em. hist.
 frisc. lib. 53. p. 824. & ex illo Schotanus post in
westfriesse historien lib. 19. p. 626.

gensis diocæseos publicus sacra papali auctoritate Notarius. Qui prædictorum testamenti ordinandi prout supra acta refero.

Quod in hocce suo testamento moribundus Henricus Matthiæ testator specialem curam expressit, pro Monasterio in majori phaleren, inque ista Ecclesia sepulturam elegerit, non mirum, si quidem hi conjuges electi fuerant in Patronum & Patronam istius clauitri 1467. & in illa dignitate confirmati 1472. ut sequentes literæ docent.

Ipsi Deo devoto Henrico Matthiæ, Geliæ eius Consorti frater Henricus, fratrum minorum per custodiam Frisiæ custos & servus salutem & pacem in Domino Seraphico. Quamvis caritatis debito omnibus tenear, illis tamen longe amplius obligamur, quorum dilectionis & beneficiorum indicia frequentius experiamur. Vestra itaque devotionis sinceritatem attendens, quod ad nostram & Seraphici patris nostri sancti Francisci ordinem Geite, ut indicata fratrum relatione agnovi, affectum sinceritatis acceptans ac dilectioni vestre vicissitudinem rependere cupiens salutarem, auctoritate Reverendi Patris nostri Minister, qua fungor in hac parte, ad confraternitatem nostram & universa & singula nostræ provincie suffragia vos recipio tam in morte quam in vita. plenam vobis missarum, orationum, officiorum, prædicationum, tenuiorum eleemosinarum, peregrinationum, disciplinarum, vigiliarum, abstinentiarum, devotionum & omnium bonorum participationum tenore, conventui accedendo, quod per

per fratres nostros & sorores ordinis Sancte Clare
per nostram provinciam degentes operari & acce-
ptare dignabitur Clementia Salvatoris. Insuper ob
singularem devotionis fervorem, quem ad nostrum
predictum ordinem & eius institutorem Christi signi-
ferum sanctum Patrem Franciscum Geit, vos in pro-
curatorem & Procuratricem Conventus Phalerensis
recipio, volens vos gaudere privilegiis & libertati-
bus, quibus tales procuratores a sede Apostolica lar-
giffue sunt suffulti, secundum quod tempore interdicti
interesse possit divinus divino si excommunicatus
non fuit, nec causam dedit interdicto. Datum an-
no 1467. ipso die Severini episcopi.

(L.S.) Sigillum appositum in Sebaceo ru-
bro, erat navicula plenis ventis
navigans, & monachalibus lite-
ris circumscriptum.

En & alterum exemplar ex quo liquet hos
conjuges in procuratores conventus Phaler-
nensis prope Emeden receptos esse fierique
participes bonorum operum Ordinis Fran-
cisci.

„Christo Deo devoto *Henrico Matthie &*
„*Geseke* ejus uxori Emede commorantibus fra-
„ter *Hermannus* in Sacra Theologia Magister,
ac fratrum minimorum Provinciae Colonien-
„sis Minister & Servus, Salutem & pacem in
„Domino sempiternam, devotionem quam
„vos ad ordinem nostrum pia fratrum rela-
„tione habere cognovi, affectum sinceræ ca-
„ritatis acceptans dilectioni vestræ vicissitu-

„dinem rependere cupiens salutarem, vos ad
 „Confraternitatem nostram ac universa & sin-
 „gula nostræ provinciæ suffragia tam in vita
 „quam in morte recipio, plena vobis missa-
 „rum, orationum, officiorum, prædicatio-
 „num, jejuniorum, elemosinarum, pere-
 „grinationum, disciplinarum, vigiliarum,
 „abstinentiarum, devotionum, votorum, ob-
 „servationum, castigationum, contempla-
 „tionum, meditationum, studiorum, exerci-
 „tationum & omnium bonorum operum par-
 „ticipationem tenore præsentium conceden-
 „do. Quæ per fratres mihi commissos ope-
 „rari & acceptari dignabitur Clementia Sal-
 „vatoris. Insuper ob singularem devotionis
 „fervorem, quem ad ordinem nostrum prædi-
 „ctum & ejus institutorem Christi signiferum
 „scilicet Patrem Franciscum Geitis vos in
 „procuratorem nostri Conventus Phalernen-
 „sis prope Emeden recipio, volens vos gau-
 „dere privilegiis & libertatibus, quibus tales
 „Procuratores de sede Apostolica largi fluere
 „sunt suffulti, scilicet quod tempore interdi-
 „cti interesse poteritis divinis, dummodo ex-
 „communicati non fuistis, nec causam dede-
 „ritis interdicto. Adde præterea pro vestræ
 „sincerissimè devotionis desiderio de gratia
 „mea speciali, ut quancumque vester obi-
 „tus annuente Domino multo tempore diffe-
 „rendus, nostro fratrum capitulo provinciali
 „indicatus fuit, pro vobis idem officium vel
 „suffragium, ut pro fratribus nostris annuatim
 fieri

„fieri consuevit. Datum anno Domini millesi-
 „mo quadringentesimo septuagesimo secundo
 „in vigilia pasche.

Hisce addam tertium exemplar de
 anno 1474.

„Christo Deo devotus, *Henrico filio Mat-*
 „*thie & Geseke* ejus consorti, frater *Henri-*
 „*cus de Unckel* fratrum minorum provincie
 „Colonienfis Vicarius & Servus salutem &
 „pacem in Domino sempiternam. Devotio-
 „nem quam vos ad ordinem nostrum pia
 „fratrum relatione habere cognovi affectu
 „sinceræ caritatis acceptans dilectioni vestræ
 „in vicissitudinem rependere cupiens, salu-
 „tarem vos ad Confraternitatem nostram ac
 „universa & singula nostræ provincie sus-
 „fragia tam in vita quam in morte recipio,
 „plena vobis missarum, orationum, officio-
 „rum, prædicationum, jejuniorum, eleemo-
 „sinarum, peregrinationum, disciplinarum,
 „vigiliarum, abstinentiarum, devotionum,
 „votorum, observationum, castigationum,
 „contemplationum, meditationum, studio-
 „rum, exercitationum & omnium bonorum
 „operum participationem tenore præsentium
 „concedendo, quod per fratres mihi
 „commisso operari dignabitur Clementia
 „Salvatoris. Anno Domini millesimo qua-
 „dringentesimo septuagesimo quarto tem-
 „pore nostræ convocationis capitularis inibi
 „celebratæ.

(L.S.)

Zzz 3

Quar-

Quartum exemplar docet quod fraternitati St. Thomæ de Aquino in novo Conventu Svollensi, sint adscripti 1479. cujus tenor hic est.

„Devotis & in Christo Jesu sibi dilectis
 „*Henrico Matthie & Gheseken* uxori ejus, frater
 „*Nicolaus de Leydis* ordinis fratrum prædicatorum Prior immeritus Conventus Swollensis, Salutem & in Domino continuum salutaris augmentum, exigente pia vestrae devotionis affectu quo fraternitati Sancti Thomæ de Aquino in novo nostro prædicto conventu ascribi voluistis, vos omnium missarum, orationum, prædicationum, vigiliarum, abstinentiarum, jejuniorum, laborum, ceterorumque bonorum operum, quos per fratres nostri ordinis & sorores Dominus noster Jesus Christus per mundum fieri dederit universum, participes esse declaro, tenore præsentium in vita pariter & in morte, quemadmodum autoritas reverendissimi Magistri totius nostri sacri ordinis nostro conventui delegata ex Curia Romana atque capitulo generali clavis manifestat. Volo insuper ut animæ vestrae post decessus vestros fratrum nostrorum recommandentur orationibus in nostro Capitulo quotidiano, si obitus vestri nobis fuerunt nunciati, in cuius concessionis testimonium sigillum mei Prioratus officii

affici duxi praesentibus appendendum. Datum
 Swoll anno Domini M. CCCC. LXXIX.
 mensis Novembris die vero vicesima.

(L. S.)

(a) *Thomas Aquinas* in oppido Latii Aquino natus, 1223. praedicatorum ordinem ingressus magnam operam Theologiae navavit & Doctrinae Scholasticae princeps exstitit. Abusus in Ecclesiam invecos non solum probavit, sed etiam cumulavit, & ex ipso & Alberto magno Theologi Lovanienses solum sapiebant, ut conqueri solebat Wesselus Gansefortius. Scripta plurima reliquit Conrado Gesnero enumerata, eminet tanquam gemma, in scriptis ejus hoc de fide dictum in hymno de festo Corporis Christi: *etsi sensus deficit ad firmandum cor sincerum; SOLA FIDES SUFFICIT.* Mortuus est 1274. Canoni Sanctorum insertus ab Johanne Pontifice istius nominis vigesimo secundo, anno salutis 1323. elapso ab illius nativitate seculo. In hujus honorem hic etiam Conventus Swollensis institutus est. Hic Conventus distinguendus est ab alio Conventu St. Agnetis etiam prope Swollam in quo Thomas a Kempis istius coenobii Prior decubuit 1471. etatis 92. Hujus Thomae a Kempis frater ut hoc obiter addam Johannes a Kempis etiam fuit primus Prior Coenobii sacrarum virginum ibi viventium secundum regulas Augustini, Bethania dicta prope Aarnhem teste Pontano, aut Schligtenborstio in hist. Geldrica lib. 1. p. 65. in quo

etiam vixit celeberrimus *Wesselus Gansfortius*, ut
 liquet ex prefatione ipsius vite prefixa p. m. i.

Quintum & ultimum exemplar quod
 hic proferam, illis datum fuit à
 Carmelitarum ordine 1480.

„Frater *Johannis de Missia*, Prior Provin-
 „cialis ac humilis servus fratrum ordinis
 „gloriosissimæ *Dei Genetricis semper Virgi-*
 „nis *Mariæ de Monte Carmeli* per inferioris
 „*Alemannie* provinciam in *Christo Jesu* no-
 „bis sincerius dilectis *Henrico Matthiæ &*
 „*Gheseke* ejus uxori salutem in *Domino* &
 „per orationum suffragia, regna cœlestia fe-
 „licius promereri cœlestis altitudo consilii
 „sic suorum corda fidelium divinitus inflam-
 „mando, novit affectus dirigere, ut ea quæ
 „suo conspectui fuerint magis grata, ferven-
 „tius faciat postulare, sane cum non sine ra-
 „dio superni luminis mentis vestræ aciem il-
 „lustrantis, intelligimus vos ad sacrum no-
 „strum ordinem specialem habere devotio-
 „nem prætextu beatissimæ *Virginis Deiferæ*,
 „cujus titulo idem noster sacer ordo pecu-
 „liarius insignitur atque decoratur, vestræ
 „devotionis affectu diligentius attendens &
 „in *Domino* commendans quantum cum
 „*Deo* possumus vices vobis cupimus immar-
 „cessibiles refundere, in his præcipue quæ sa-
 „lutem continent animarum. Quapropter
 „in

in omnibus missis, orationibus, jejuniis, vigiliis, abstinentiis, disciplinis, laboribus, prædicationibus ceterisque bonis meritoriis, quæ per nos ac fratres universos nostræ amissionis operari dignabitur clementia Salvatoris participes vos facimus & consortes in vita pariter & in morte. Et ad uberiores spiritualis gratiæ cumulum nihilominus concedimus, ut cum obitus vestri memoria in nostro provinciali capitulo fuerit recitata, idem fiat pro vobis quoad universa & singula, quod pro fratribus nostris defunctis ibidem specialiter fieri est consuetum. In cujus rei testimonium, sigillum nostri provincialatus officii est impressum. Datum in nostro conventu coloniensi Anno Domini M. CCCC. LXXX. nono die vero quinta mensis Julii.

(L. S.) Wyrich

De administranda in regno BOHEMIÆ communionē sub utraque specie, Episcopalis admonitio, ac brevis sacerdotum instructio, ut sci-ant, quomodo sese in administranda indifferenti communionē, nuper à summo pontifice concessa, gerere, & quæ populo sæpius tam in Concionibus, quam in Confessionibus proponere & inculcare debeant. (a)

Confirmentur sedulo ii, qui sub una specie hæctenus communicarunt, moneanturque, ut ea in posterum & contenti sint, cum ad salutem non minus quam utraque sufficiat: idque præsertim propter eos, qui hac occasione offendi videntur.

Do-

(a) Edidit ante hoc quadriennium Venerabilis J. A. SCHMIDIUS *litteras secretiores FERDINANDI I. Rom. Imp. pro obtinenda Eucharistia sub utraque in gratiam Maximiliani II. Bohemæ Regis a. 1560. missas ad Pium IV. Pont. M. Adjunxerat illis epistolam, Pii IV. ad Julium Pflugium, Episcopum Num-*

Doceatur populus, neminem cogi, ut sub utraque specie communicet, sed positum hoc esse in cujusque arbitrio.

In-

Numburgensem d. XV. Apr. a. 1564. scriptam, qua ille, antea prorsus inexorabilis, finito Concilio Tridentino, per quod ipsi plenum arbitrium datum erat in hac causa, concessit episcopis Germaniae facultatem distribuendi calicem eucharisticum petentibus sed sub certis conditionibus: Addidit quoque decretum Ferdinandi I. Imp. die XIV. Jun. ejusdem anni factum, publicatumque de *legitima executione concessionis communionis sub utraque*, una cum diplomate Germanico quo per Episcopum Gurcensem e suggesto templi S. Stephani, quod Viennae est, illa concessio promulgata fuit publice. Cum autem totum hoc negotium constantissimis precibus in primis Maximiliani II. Bohemiae regis deberetur, qui per integrum fere lustrum usu sacrae coenae carere maluit, quam eam mutilam frui, eadem libertas quoque Bohemis indulta est. Conditiones illius indulgentiae ex sequenti scripto, quod ab amico benevole communicatum nunc primum, tamquam libelli Schmidiani supplementum publico committitur, cognoscantur. Contendi autem cum his debet epistola Pii IV. super eodem negotio ad Henricum Junio rem Brunsvicensem Ducem scripta Kal. Sept. a. 1564. quam Jo. Fr. Mayerus, Theologus notissimus, primus vulgavit, suaeque dissertationi de *Regis Galliae communionis sub utraque* Wittebergae a. 1686. editae inseruit. Ex ea genuina Romanae sedis de hoc negotio sententia apprime colligi potest. Ita enim epistolam illam claudit. „Hanc concessionem a nobis cordis eorum durities, qui communionem sub utraque specie jam pridem tam pertinaciter poposcerunt, mul-

Inculcetur hoc crebro in concionibus & confessionibus, tantum sumi, sub una quantum sub utraque.

Nulla gratia ad salutem necessaria eos defraudari, qui sub una communicent specie.

Doceatur populus, quod antea indifferens usus communionis fuerit in Ecclesia, & liberum fuisse, vel sub una, vel sub utraque communicare Laicis.

Magnis deinde, ac justis causis, Ecclesiam

multorum tamen gravium & piorum virorum accedente consilio, vere, ut dicamus, expressit, ne si eam denegavissimus, illi obdurato animo ab Ecclesia decederent, atque animas suas perditum irent. Cupimus tamen & vehementer optamus ab omnibus antiquum potius ecclesiae ritum observari: & Nobis tamen hortamur, ut & ipsa eum servet, sicut facturam eam esse confidimus, & ditionis suae populos in eodem ecclesiae ritu & instituto studeat continere: cum hæc humilitas, & erga matrem ecclesiam pietas ac reverentia in primis Deo grata futura sit. Ceterum, si quis plura noscere cupiat, de iis, quae illa tempestate pro impetranda postliminio libera Calicis Eucharistici usura acta sunt præter citatas *Mayeri* & *Schmidii* Diff. adeat *Sarpium* hist. Cone. Trid. L. VI. p. 471. sqq. 478. sqq. 507. sqq. edit. Gorinchemensis *Pallavicini* hist. cone. Trident. L. XIV. c. 6. p. III. sqq. (edit. Romanae, quam possideo) L. XV. c. 5. L. XVII. c. 4. 7. 12. 14. L. XVIII. c. 3. 4. 7. 8. 9. 10. & alibi passim. *Basnaja* dans L' hist. de l' Eglise L. XXVII. c. XI. §. 4. 5. 6. & *J. A. Schmidii* diff. de factis calicis eucharistici. T. d. H.

am adductam fuisse, quod sub una tantum
Laicos communicare voluerit.

Docetur etiam populus, liberum fuisse
semper, atque nunc esse, & semper futu-
rum in Ecclesia, ea circa sacramenta statue-
re, quæ ex utilitate ipsius Ecclesiæ, & in su-
mentium commoda videntur; salva semper
sacramentorum substantia.

Sedem Apostolicam non ultro obtrudere
quibusdam Regnis & provinciis, usum cali-
cis, sed ad crebras ac instantes Majestatis
Cæsareæ preces, indifferentem communio-
nem permittere.

Quicumque igitur devotionis cujusdam
fervore, maluerint sub utraque communica-
re, quam sub una, à nemine sacerdote Ca-
tholico illis denegetur.

In omnibus Collegiis parochialibus, &
Monasteriorum Ecclesiis, volumus porri-
gi sub utraque legitime petentibus.

Nemini sub utraque specie porrigatur à
Sacerdotibus nostræ Jurisdictioni subjectis,
qui non sit in communione Sanctæ Catholi-
cæ Ecclesiæ.

Qui absque contritione, confessione, &
absolutione, ad hoc venerabile Eucharistiæ
sacramentum, seu sub una, sed sub utraque
specie accedere vellent, rejiciendi sunt o-
mnino.

Confessiones secundum vetus Ecclesiæ
Catholicæ institutum, sigillatim & secreto,
non turmatim, & publice fiant. Her-

Hortandus est diligenter Populus, ut à legitime ordinatis Sacerdotibus, hoc venerabile Eucharistiæ Sacramentum accipiat, apud eos tantum confiteatur, & ab eis absolutionem petat.

Doceatur etiam, eos tantum Sacerdotes posse conficere corpus & sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI qui à legitimis Episcopis legitimè ordinati sunt.

Eos tantum Sacerdotes esse, & dici debere, qui à legitimis Episcopis ordinantur.

Nemo catholicus à sacerdote hæretico vel Schismatico permittatur accipere communionem sub utraque.

Qui diceret & crederet, Ecclesiam Catholicam errasse, quæ Laicis, sub una specie communicarit, non est admittendus ad communionem sub utraque.

Qui diceret aut crederet, ex DEI præcepto, & ex salutis necessitate, sub utraque specie communicandum esse, non admittatur ad communionem.

Qui diceret aut crederet, non esse verum aut integrum Corpus Christi sub una tantum specie, non admittatur.

Verba hæc ab Ecclesia longo usu approbata, corpus & sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, dicantur sigillatim, tam in porrectione venerabilis hostiæ quam in porrectione sanguinis Domini.

His tantum nostræ Jurisdictioni subiecti Clerici, sub utraque porrigant, qui in omnibus cum Catholica Ecclesia consentiunt.

Neminem nostri sacerdotes ad communionem admittant, qui non habent annos discretionis.

Volentem ex suo more veteri sub una communicare, nemo prohibeat, neque illi dissuadeat.

Abstemii, sub utraque specie communicare volentes, prohibeantur omnino, ne propter nauseam id, quod biberint, cum maximo scandalo ejiciant.

Fiant crebræ ad populum adhortationes, ne propter hanc indifferentem communionem, una pars contemnat alteram, sed ut in caritate mutua vivant.

Nulla sit differentia in administrando hoc venerabili Eucharistiæ sacramento, sub una, & sub utraque specie, neque templorum, neque Altarium, neque ministrorum, neque templorum.

Ante communionem instruatur populus de Veritate corporis & sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, & de aliis quæ ad gratiam istius Venerabilis Sacramenti pertinent, quod in Lingua vulgari fiat.

Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, non nisi à legitimo Sacerdote Laicis porrigatur, simplicem vero absolutionem etiam Laicus porrigere potest.

Calix, ex quo Laici sub utraque communi-
cabunt, sit consecratus.

Non plures consecrentur hostiæ, neque
plus vini, quam numerus communicantium
requirit.

Quod si aliquid ex sanguine Domini no-
stri JESU CHRISTI post Laicorum commu-
nionem supererit, sacerdos, vel eodem die,
vel sequenti cum magna reverentia id consu-
mat, inter sacrificandum, antequam sumat ab-
lutionem.

Moneatur sedulo populus, ut quando ali-
quem in adversam valetudinem contigerit in-
cidere, tempestive confiteatur & communi-
cet, non tunc, cum vires prostratæ sunt, &
ratio vacillat.

Monendi sunt ægroti, ut propter pericu-
lum effusionis, quæ in deferendo facile acci-
dere potest, sub una tantum communicent.

Quod si quis ægrotus ardore devotionis,
sub utraque specie omnino communicare va-
let, satis fiat ipsius voluntati, sed caute defe-
ratur.

Fiant Vascula cum Orificio clauso, ad defe-
rendum Domini nostri JESU CHRISTI san-
guinem ad ægrotos.

In domibus honestioribus potest in porta-
tili celebrari Missa, coram ægrotato, circa
quam ægrotus communicet.

Absumantur à Sacerdotibus consecratæ
hostiæ, quæ in Cibariis propter ægrotos as-
fer-

servantur, & singulis mensibus mutentur.

Calicem ex quo Laici communicabunt, bene abluat, & bene tergat sacerdos postquam omnes communicarint.

Propter majorem Reverentiam ex argenteo calice communicent Laici.

Rudioribus & Ineptioribus, cautè imponenda est in os hostia sacrosancta, & semper linteolum aliquod nitidum sub mento communicantium teneatur.

Sub utraque specie communicantibus caute porrigatur ex calice, ne aliqua guttula in terram decidat, vel in barba communicantis hæreat.

Qui valde sunt rudes & stupidi, neque intelligunt, quid sumpturi essent, non debent admitti ad communionem.

Liceat cuivis indifferenter communicare, modo id devotionis affectu, non aliqua levitate faciat.

Oneramus graviter omnium nostrorum Sacerdotum conscientias, cum sub utraque specie porrecturi sunt, ut cauti ac diligentes sint, ne contra nostrum hoc præscriptum quenquam ad communionem admittant.

Qui autem has nostras, circa communionem sub utraque regulas neglexerint, vel contempserint, eos præter excommunicationis poenam ab officio & beneficio suspendemus, &c.

Catalogus librorum,
praecipue a REFORMATIS
editorum conti-
nuatus.

L A T I N E.

Johannes MARCKII, Professoris Theologiae Lugdunensis, Compendium Theologiae Christianae Didactico-Elencticum immixtis problematibus plurimis & quaestionibus etiam recentioribus adauctum. Editio tertia varie emendata & aucta, nec non brevibus argumentis, atque indicibus necessariis, imo & notatione operum auctoris, quibus res eadem latius tractatae sunt, ad capita & paragraphos singulos nunc instructa. Accedunt positionum Theologicarum Centuriae decem. Amst. 1721. 4, IV. Alph. II. plag.

Epistolae duae ad celeb. doctissimumque Virum F. V. Professore Amstelodamensem scriptae. Quarum in altera agitur de editione N. T. a Cl. Bentlejo suscepta, omnesque ejus adhuc in lucem emissae conjecturae de sacro textu examinantur. In altera vero multae de corruptis epistolarum N. T. locis

con.

conjecturae jam primum editae proponuntur. Londini 1721. 4. pagg. 31. Auctor se vocat Phileleutherium Londinensem, & à plerisque creditur esse *Zacharias PIERCE*, qui a sacris est Cancellarii Angliae, & cui pulcra debetur editio *Ciceronis de nat. Deorum*.

Job. Christ. BECMANNI Analec̃ta historica, quibus res sacrae & profanae apud praecipuos populos inde ab orbe condito, usque ad tempora Constantini Magni juxta periodos IV. Monarchiarum exponuntur, atque singularia multa traduntur. Cum Indice locupletissimo Francof. ad Viad. 1722. 1. Alph. 3. pl. Videtur hic liber nihil continere aliud, quam quae ex ore summi Viri ejus disciplinae alumni in collegiis historicis hauserunt.

Annales Veteris & Novi Testamenti, a prima mundi origine deducti, una cum rerum Asiaticarum & Ægyptiacarum Chronico, a temporis historici principio, usque ad extremum templi & reipublicae Judaicae excidium producto; *Jacobo USSERIO* Archiep. Armachano & Hiberniae Primate, digestore. Aecedunt tria ejusdem opuscula. I. de Chronologia Veteris Testamenti. II. de Macedonum & Asianorum anno solari. III. de Symbolis. Quibus omnibus praefixa est *Jacobi Usserii Vita*, à *Th. Smitho*. S. T. D. conscripta. Editio nova, in qua annales nunc primum manu Auctoris emendatiores prodeunt; una cum Indicibus Auctorum & loco-

rum: quibus addita est annorum mundi cum
annis Olympiadum & urbis conditae Collatio
Genevae 1722. fol. 10. Alph. 6. phil.

Observationes Criticae 532. in S. S. Passio-
nem D. N. J. C. quoad maximam partem no-
vae & exquisitae, non verbales sed reales, ex
S. Scripturae conferentia, sub beneficio Phi-
lologiae, & variorum cujuscunque confes-
sionis Authorum, tum Pontificiorum, tum
Evangelicorum, tum Reformatorum erutae,
& in Centurias digestae, in quibus praeter
tentationum Diabolicarum varietatem, Pas-
sionum gravitatem, & ignominiarum Syr-
mata profunda, Dei & Satanae, passim dete-
guntur, subjuncto observationum indice. Ad
infidelitatem vel convincendam vel confun-
dendam, & fidem tam jucundandam, quam
in receptione Christi crucifixi roborandam,
atq; simul in ejus amore & aestimio subliman-
dam. Opera & studio *Johannis Caspari MER-*
CKEN, Scholae Gemarcensis Rectoris. Duis-
burgi ad Rhenum 1722. 4. 5. Alph. 15. plag;

Πεντας dissertationum Biblico - Chronologicarum
(sunt autem hae sequentes, I. Το παληρωμα
των καιρων, sive temporis, quo nasciturus
erat Messias ex Mose & prophetis simplex
scrutinium & brevis ac clara demonstratio.
Sectio prior. II. Sectio posterior LXX. se-
ptimanas Danieliticas considerans. III. Πλη-
ρωμα των καιρων illustratum ex S. *JOHANNIS*
Baptistae historia Chronologica. IV, ex hi-

*Historia D. N. J. C. demonstratum: V. χρονο-
 λογία historiae & epistolarum S. PAULI.)* qua
 tum ex indicibus temporis, adventui Messiae
 adsignati, praecipue in LXX. hebdomadibus
 Danielis: Tum ex SS. Evangelistarum de Jo-
 hanne, Christo & Paulo, historia, Jesum &
 in plenitudine temporis natum, & Christum
 esse, adversus Judaeos demonstratur: & sa-
 cri etiam Codicis sinceritas passim defendi-
 tur. Accedit appendix triplex: 1. de Sama-
 ritanis primis, eorumque in Assyriam depor-
 tatione. 2. de novis ex Assyria &c. missis Sa-
 maria incolis. 3. de XII. Tribuum disper-
 sione. Authore *Job. Jacobo HOTTINGERO*, S.
 Theol. in Tigurinorum Athenaeo Profess.
 Praefationem de Chronologia sacra ejusque
 Scriptoribus praemisit *Frid. Adolphus LAMPE*,
 SS. Th. D. & in Acad. Trajectin. Profess. Tra-
 jecti ad Rhenum 1723. 8. 1. Alph. 14½. plag.
 cum praefat.

Johannis Henrici SCHRAMMII, P. S. de
unione ecclesiarum Protestantium dissertatio Aca-
 demica; Marpurgi, 1722. 4. 12 plag.

Bernhardi Sebastiani CREMERI B. F. P. Th.
 D. & ej. Facult. in Academia *Harderovicena*
 Prof. Ord. *summa Theologiae supranaturalis* in
 studiosae juventutis usum in ordinem digesta,
 privatimque explicanda; Harder. 1722.
 1. Alph. 15. pl. 4.

Ej. Or. de DEO in unitate trino & unico in trini-
 tate habita Harderovici ad d. XII. Jun.

elo 1000XXI. cum magistratu se Academico
abdicaret; Hard. 1721. 4. 11. plag.

EL. قصة يوسف النجار five historia Jose-
phi fabri lignarii. Liber apocryphus, ex Co-
dice MS. Bibliothecae Reg. Paris. nunc pri-
mum Arabice editus, nec non versione Lati-
na & notis illustratus a *Georgio WALLIN*, Sue-
co; Lips. 1722. 4. Alph. 1. pl. 6. V. Act. Er.
Lips. M. Decembri p. 567.

Hadriani RELANDI Analecta Rabbinica,
comprehendentia libellos quosdam singula-
res, & alia, quae ad lectionem & interpreta-
tionem Commentariorum Rabbinicorum fa-
ciunt; In usum collegii Rabbinici; Ultraj.
1723. 8. 1. Alph. 18. plag. Est editio altera
libri ante viginti annos primum editi.

Johannis Papirii MASSONIS, Foresii, in se-
nato Parisiensi & regia Advocati vita *Johan-
nis CALVINI*, quam animadversionibus
historicis illustravit *Conr. Henr. BARCKHU-
SEN*, Detmoldiâ Lippiacus. Berolini. 1722.
4. 3½. plag.

EL. *Christophori Matthiae PFAFFII*, S. Th.
P. Primarii & Academiae Tubingensis Can-
cellarii, Schediasma orthodoxum dogmati-
co-polemico-Asceticum de *Morte naturali*;
Tubingae. 1722. 4. 12. plag.

Alberti Wilhelmi MELCHIORIS, Joh. Fil.
dissertatio de *Cherubinis gloriae*, eorumque
mysterio, quam in acroaterio ill. Athenaei
Ha.

Hanoviensis a. d. XXVI. Martii A. C. V. clō
lcccxii. publice dixit, cum magistratu Aca-
demico abiret. Hanov. 1722. 4. 9. plag.

Job. Christ. LOERSS. Theol. D. & Prof. Ord.
in Academia Duisburgensi ad Rhenum Dis-
sert. Theologica de *Angelorum corporibus*. Ul-
traj. 1723. 4. pag. 42.

Haec illa est, quam à Clarissimo Vito ex-
cussam esse erudite supra Fasc. VI. p. 411 .sq.
vidimus.

Hieronymi van ALPHEN, H. F. de terra
Chadrach & Damasco ejus quiete ad locum Zach.
IX: 1. dissertatio. Ultraj. 1723. 8. 8. plag. Ex-
cussis aliorum de hoc loco sententiis, suam
proponit florentissimus Auctor, qua terram
Chadrach, esse terram *Derce* seu *Atergatis*, noti
illius Syrorum idoli, statuit, illius autem re-
quiem dici Damascum, quod in hac urbe nu-
men illud sepultum esse crederetur. Ita au-
tem tota haec res tractatur, iisque interio-
rum literarum elegantissimis illustratur, ut ex
his Viri primitiis non nisi laetam atque ube-
rem messem tibi possis promittere.

Hieron. van ALPHEN, S. Th. Doct. & in
Academia Trajectina Professoris Ordinarii
ichnographia Theologiae naturalis tabulis XV
Analyticis in usum scholae domesticae ad-
umbrata. Ultraj. 1723. 4. 8. plag.

CENSURA *censoe*, sive veritas defensa
fallaciisque, erroribus ac mendaciis J. Conr.
Clasingii, Superint. illata ab *Johanne MEYE-*

RO; Harderwici, 1722. 4. 10. phil. *Speramus fore, ut hoc scripto velitationi, cujus aliquoties facta est mentio, non nimis laetae finis sit impostus. Ego lauream, quae ex illa reportabitur, neutri inuidebo.*

Rodolphi SALCHLINI, L. Gr. Prof. in ill. schola Bernensi, dissertatio in qua Cl. PFAFFII exercitatio de *formula consensus* examinatur & refellitur: Bernae, 1723. 4.

Jacobi LAUFFERI diff. de recta liberorum educatione, in qua D. de Croufaz libellus de eodem argumento censetur. Bernae 1723.

Jo. Georgii ALTMANNI Or. de recta legum ferendarum ratione habita Bernae pro vacua sede Juridica, Bernae: 1723. 4.

EL. Christ. Sigismundi LIEBII, Seren. Duci Saxo Gothano ab Epistolis, Diatribe de Pseudonymia Joh. Calvinii, in qua iis, quae Petrus Baelius, Bailletus aliique de hoc argumento tradiderunt, sub examen vocatis, idem illud uberius illustratur, & epistolae anecdotae XXVII. Jo. Calvinii, aliorumque ad eum *Pseudonymis* datae, nunc primum in lucem eduntur; Amst. 1723. 8. 6. pl. cum dimidia.

Julii STERRINGAE observationes Philologico-sacrae in Pentateuchum. Lugd. B. 1721. 4. Alph. 2. Monemus tantum huic libro jam anno 1695. excuso novum solum titulum praefixum esse.

Campegii VITRINGA Observationum sacra-

era-

crarum L. VI. Editio novissima; quae prima est in Germania; Accessit ejusdem Geographia S. nunc demum edita, & praemissa est ejusdem auctoris vita. Jenae: 1723. 4. 9. Alph. 9. pl.

Gottthardi HEIDEGGERI Recreationes sacrae, Tiguri, ut puto 1723. 8. Est vetus editio, quae jam a. 1698. prodiit, novo titulo insignita. Pars prima unius alphabeti continet ideam Christianae honestatis ex Ep. ad Eph. Cap. IV. & V. Pars altera habet Orat. de Naziraeis N. T. praelectiones de raptu & stimulo Pauli in 2. Cor. XII: 1. sqq. de Creatura gemente ad Rom. VIII: 19 - 23. Paralogen explosum &c.

EL. Jo. Georgii GERET, Anspacensis, Ord. Phil. Vitemb. Assessoris Specimen examinis Theologiae Lactantianae in articulo de Deo absolute considerato, Filio, & Spiritu sancto. Vitemb. 1723. 4. 7. plag.

EL. Jo. Andr. BOSII introductio in notitiam scriptorum ecclesiasticorum, Job. Frane. BUDDEI, J. G. MEUSCHENI, & Thomae CRENII observationibus aucta & illustrata ejusque opuscula historiae & antiquitatum sacrarum collecta & edita cura & studio Joh. Georgii WALCHII, P. P. O. Jenae. 1723. 8. Alph. 2. pl. 8.

Bernardi Sebastiani CREMERI, B. F. S. T. D. & ej. facult. in Acad. Harderovicena Prof. Prophetico-Typicarum exercitationum ex V. T. Te-

1746; Amst. 1723. 2. Alph. in 4. Continuatio hæc est *Prodromi typici*, quem ante hos tres annos editum Cl. IV. fasc. I. p. 175. commendabamus. Praemittitur antilogium in quo ea, quae de methodo tractandi typos & de prestere vero quem Cl. Auctor in aeneum serpentem mutatum a Mose impositum fuisse perticae, peculiari sibi sententia opinatur, in priori parte scripserat, illustrantur uberior, atque ab aliter sentientium objectionibus vindicantur. Sequitur tractatio ipsa **TRIUM** nobilium materiarum, in qua ea, quae de **SERVIS** Ex. XXI: 1-11. Coll. Deut. XV: 12-18. & Lev. XIX: 20. de *die magno EXPIATIONIS* Lev. XVI. & Num. XXIX: 7-11. de *aridorum ossium RESUSCITATIONE* Ezech. XXXVII: 1-14. leguntur, primo secundum literam, deinde sensu mystico & prophetico diligenter & ubertim enucleantur.

EL. Olai RUDBECKII, Fil. *Jebthyologiae Biblicae* pars secunda de **BORITH** fullonum, quod non herbam aliquam, multo minus smegma vel saponem fuisse, sed *Purpuram* ex Jer. II: 22. & Mal. III: 2. per plurimos, iisque non levibus evincitur argumentis & rationibus. Upsaliae. 1722. 4. pagg. 164. Summam libri hujus, pleni rarioris eruditionis exhibent Acta literar. Sueciae a. 1722. Trim. III. & IV.

Jo. Ortqvini WESTENBERGII Jcti & Ante-

tecessoris *Paulus Tarsensis Jurisconsultus*, seu dissertatio de *Jurisprudencia Pauli Apostoli*, habita publice in templo academico ipsis Kal. Jun. MDCCXXII. quum munus Rectoris illustris Frisiorum Academiae deponeret. Franeg. 1722. 4. 11. plag.

Jo. Arnoldi NOLTENII, S. Theol. D. & regiae Maj. Boruss. Conc. Aulici Commentariolus in *ZEPHANIAE* vaticinia: quo scopus atque nexus eorum facili methodo ostenditur, veritas implemento demonstratur, eaque ad praxin brevi manuductione applicantur. Francofurti ad Viadrum, 1724. 4. 7. plag. Continet hic Commentarius tantum annotationes in sex priora commata primi capituli, in hunc divinum vatem a S. R. Autore, cum publice doceret in alma Viadrina, conscriptas. Optandum esset, ut simili modo, methodoque reliqua quantocycus adjungantur.

Compendium Theologiae naturalis in usum scholae privatae concinnatum a *Friderico Adolpho LAMPE*, S. T. in Acad. & eccles. Trajectina Doctore. Ultraj. 1723. 8. 13. plag.

Commentarius Analytico - Exegeticus tam literalis, quam realis Evangelii secundum Joannem. quo non tantum singulis vocibus & phrasibus lux affunditur, veritatesque in iis latentes eruuntur atque vindicantur, sed etiam ordo ac scopus omnium & singularum

rum partium ejus accurate ostenditur, auctore Frid. Adolpho LAMPE, S. S. Theol. in Acad. Ultrajectina D. & Prof. Ord. *Tomus primus* præter amplissima Prolegomena quatuor priorum capitum explicationem continens. Amst. 1724. IV. Alphab. cum dimidio in forma majori quam *quartam* vocant. De hoc libro id unice testari liceat, illius editione spes, quas de eo jam per aliquot annos amplissimas conceperamus, non impletas solum, sed & haud parum superatas sitimque secutorum voluminum ingentem accensam esse.

Theodori HASAEI de *Livjathan Jobi & ceto Jonae* disquisitio. Bremæ. 1723. 8. 17. plag.

EL. Jo. Franc. BUDDEI, S. Theol. D. & P. P. O. Institutiones Theologiae DOGMATICAE variis observationibus illustratae; Lips. 1723. 4. 10. Alph. In hoc opere stili nitor, dictionis perspicuitas, ordinis elegantia, studium *ἐπιεικειας*, lectio plurima, judicii acrimonia inter se quasi de primatu contendunt, mereturque omnino illas laudes, quibus in eruditorum diariis insignitur passim; In eo tamen ea, quae dudum evidentissimis argumentis plus millies confutata sunt, defendi, is demum mirabitur, qui nunquam perspexit, quantum opiniones, quas cum materno lacte imbibimus, in animis nostris valeant, & quam facile ad ea credenda, quae muneris ratio credenda esse prescribit, & quae rejicienda non sunt, nisi molestias nobis conciliari velimus, impellamur.

EL. Georgii WALLINI, F. S. S. Th. Doctoris

etoris, ejusdemque Lectoris Primarii Regii in
Gymnasio Suecorum Hernösandensi & Con-
sistorii ibidem adessoris de S. GENOVEFA
Parisiiorum & totius regni Galliae Patrona
disquisitio Historico-Critico-Theologica, in
III. partes divisa, & figg. aeneis illustrata.
Witteb. 1723. 4. sine praef. 1. Alph. 12¹
plag.

Accedit Or. sollemnis, de quaestione; *An
liceat Theologo Evangelico peregrinanti Pontifi-
ciorum sacris interesse, habita in Acad. Wittenb.
ipsis Kal. Mart. a. 1723. 5. plag.*

Vir doctissimus, neque uno eruditionis
elegantissimae specimine insignis argumen-
tum hoc docte, magnaue cum industria
tractavit; Pars prima est generalis: *Altera*
agit de vita S. Genovefae, ejus nomine, nati-
vitate, tempore & loco, Parentibus, voto
virginitatis, consecratione, revelationibus, vi-
tae sanctitate, miraculis, operibus heroicis, au-
toritate & honore, injuriis, periculis &
morte. *Tertia* de ejus templo, sepulcro, capsula,
reliquiis, miraculis post mortem, canonisa-
tione, de ea, tanquam patrona urbis & re-
gni, monasteriis, festis, invocatione, votis,
Donariis, processionibus, panibus bene-
dictis &c.

Historia Christianorum, qui in Belgio fce-
derato inter Protestantes (a) *Mennonitae* ap-
pel-

(a) Id iis haud facile Protestantes concesserint.

pellantur, in qua praeter eorum originem, progressum, statum hodiernum & fidei confessionem simul ostenditur ingens inter hos, & Anabaptistas Germanos ac Monasterienses discrimen; adjecta accurata disquisitione de antiquitate baptismi profelytorum, inter Judæos per *Hermannum SCHYN*, Med. Doct. & inter Mennonitas V. D. M. Amst. 1723. 8. 1. Alph. 3. plag.

EL. Codicis Pseudepigraphi V. T. Volumen secundum II. collectum a *Jo. Alberto FABRICIO*; S. T. D. & P. P. Hamburgi. 1723. 8. 2. Alph.

EL. THEOPHILI Antiocheni Ep. L. III. ad Autolyicum graece ad fidem codicis Ms. Bodlejani & ex parte regii Parisiensis denuo recogniti & pluribus in locis castigati, versione latina frequenter emendata notisq; tum aliorum tum suis instructi à *Jo. Christ. WOLFFIO*, Pastore ad D. Cath. Hamburgensi & Scho-larcha: Hamb. 1724. 8. 1. Alph. 7. pl.

EL. *Christiani Augusti SALIG* de Eutychnismo ante Eutychem, sive de Eutychnismo vere ac falso suspectis tract. historicus & theologicus, in quo vestigia Eutychnismi apud Antiquos hæreticos & in Patrum scriptis perquiruntur, ac simul historia Nestorianismi breviter, atque ita recensetur ut potissimum Cyrilli Alexandrini anathematismorum, Eutychnismum
fe-

fovere visorum sit habita ratio. **Wolffen-**
buttelaë: 1723. 4. 1. Alph.

Valentini Ernesti **LOESCHERI** S. Theol. D.
Senatoris eccles. & Superintend. Dresdensis
STROMATEUS, sive dissertationes sacri &
literarii argumenti ineditae partim hæctenus,
partim editae olim, sed revisae nunc & lo-
cupletatae, accedit de *servando in controver-*
siis Theologicis modo Comment. ad D. Henr.
Muhlium, nec non Pachomii sermo contra
impietatem sui seculi & provinciale Roma-
nam ex MSSis Codicibus. **Wit-**

tenb. 1724. 4. 4. Alph. 3.
plag.

THEODORI HASAEI,

de

*Meritis BREMENSIIUM in rem
Christianam*

ante reformationis tempora

ORATIO,

dicta publice

a. d. VIII. Kal. Jul. a. cto 1600XXIII.

in illustri Lyceo Bremensi,

Cum Ordinariam Theologiae
professionem solenni ritu
capesseret.

PLATONEM, Philosophorum priscae
aetatis facile Principem, TRIA prae-
cipue in magna felicitatis suae parte
posuisse, atque eapropter DIS immor-
talibus conceptis verbis grates egis-
se, memoriae proditum accepimus. Quod
HOMO esset genitus, non bestia, quod vivente So-
crate, quod Athenis. Ego, quoad longissi-
me potest mens mea respicere spatium prae-
teriti

teriti temporis, & infantiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, plurimis juxta & maximis me ab inexhausto omnis boni fonte & Parente, DEO cumulatam beneficiis non sine animi quadam commotione recordor. Inter ea autem haud infimo loco collocare consuevi, quod me sanctius, rationisque capacius altae animal, HOMINEM, quod inter homines *Christianum*, aeternae beatitudinis candidatum, quod denique in hac, quae Cauci nominis gloria est, urbe BREMA in lucem suscipi voluit. Tametsi postremum hoc nonnullis peregrinum, audituque insolitum videri potest, faciam tamen ut intelligatis, illius asserti rationes mihi constare non contemnendas. Quum enim TRIA potissimum sunt, quae civitati splendorem ac decus conciliant, si primum commodo, rerumque, quae ad aetatem ex animi sententia agendam faciunt, abundantiori loco posita sit, si deinde publica res sapienter & ad naturam hominum adcommodate geratur, si denique iis, quibus mens, divinae particula aerae, perpoliri, atque aditus ad caelestes laetitia communitur potest, adfluat, una omnes omnium prope urbium fortunas complexa est BREMA, atque triplici hoc

Nomine, tantum alias inter caput extulit urbes,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Paribus fere utrinque intervallis & ab Arcto, & a Zona torrida disjuncta est, ne nimis vel frigoribus torpeamus, vel caloribus marcescamus. Nimis neque vicina est mari, neque propinqua, ut, cum non vexemur illis incommodis, quae crassus Oceani aer circumfert, exquisitis contra & invidendis commodis, quae commerciorum per aequor ope colliguntur, gaudeamus. Nec nimis angustiis coercetur, nec insana mole, ac magnitudine laborat. Qualia quidem ego loca reliquis multum praestare puto. In magnis enim urbibus magna ut plurimum vitia impune regnant. At parvae nimis cum multa rerum utilium penuria conflictari habent. Haec autem ita a nostris moenibus abest, ut non modo rerum omnium, quae necessariis usibus sufficiunt, sed, &, quae ad vitam cum voluptate transigendam faciunt, copiis circumfluamus, deliciasque, quae aliis in locis sunt singulae, eas universas, & vastum mare, & piscosi amnes, & venatibus apti saltus, & feraces agri, & pingues pascuorum glebae, & ridentes horti, cumulate nobis abundanterque, certamine quodam quasi inuito, suppeditent. Si quae autem sunt, ut nulla fert omnia tellus, quorum in his oris parcior est proventus, ea fluminis, quod urbem dividit, ope tanta ex diffitissimis regionibus ad nos ubertate advehuntur, ut nobis non tantum satis superque

que sit, verum & toti, qua patet, Germania inde rerum omnium apparatus copiose suggeratur.

Enimvero, quid juvat loco tam amœno, tam uberi, tam bonis omnibus adfluente vitam degere, si illis, quibus te tuisque ad arbitrium uti licet, parendum, & sub molestissimo indomitae dominationis jugo semper ingemiscendum foret? Sed ecce singularem, ac prorsus eximiam patriae nostrae praerogativam. Superbiunt & aliae civitates splendido libertatis nomine, sed praeter hoc nomen, levemque illius umbram, in uno procacis linguae immoderato usu sitam, nihil fere inaeestimabilis hujus boni possident. Sunt, in quibus omnes civium honestissimorum fortunae Demagogorum, pullatiq; gregis furoribus expositae prostant. Aliis in locis res omnis publica à paucis quibusdam familiis, quarum absolutum in cives imperium est, tenetur, ita ut in eo solum à regnis differat hoc regimen, quod cum in illis homines subjecti sint Principibus magnis atque insignis potentiae, heic contra DIS minorum gentium, neque valde alios dignitate antecurrentibus obsecundandum sit.

*O fortunatos contra, bona si sua norint,
BREMENSES!*

Habet hoc civitas nostra praec aliis, ut nullae inter se partes dissideant, nullis distrahatur cupiditatibus. Raro quodam, atque

admirabili temperamento & iusta constat magistratibus auctoritas, & inconcussa pariter civibus libertas. Gaudet illo, quem civitatis feliciter gubernatae characterem esse, sciscitanti Augusto respondebat Virgilius, *Ut prudentiores remonem teneant, & boni malis praeponantur, ut optimi suos habeant honores, nulli tamen aliorum quidquam fiat injusti.* Nihil civis Bremensis, qui integre vivit, vereri habet praeter Deum laesamque criminibus conscientiam. Quae vigent leges, iis obtemperant ipsi Optimates, quas sciscunt, ipsi exsequuntur, neque eas tam poenis in transgressores, quam proprio exemplo stabiliunt. Cum salus publica novorum onerum impositionem postulat, in consilium arcessitur delibatus populi flos, tum autem, si quae communi consensu placuere, nemo quisquam tam eminenti loco constitutus est, iis ut humeros subtrahere vel velit, vel possit.

Ut ut praeclara haec sunt, & in communi hominum vita tam aestimanda, quam quae maxime; vix tamen comparanda censeo cum illis praerogativis, quibus ratione SACRORUM gaudet. Superent eam aliae urbes commerciorum opulentia, antistent mœnium ambitu, antecellant superborum aedificiorum pompâ, majore floreant incolarum numero, perinsigne tamen, atque incomparabile patriae nostrae decus in illo
situm

fitum est, quod ea est unica & sola inter liberae Germanici imperii urbes, in qua omnium sanctissima & castissima, & sive caerimonias spectes, ad Christi, ejusque Legatorum exemplum conformata, sive credenda dogmata, ad amussim sacrorum oraculorum unice exacta, atque a naevis & sordibus, quantum res hominum ferunt, emendatissima triumphat RELIGIO. Quae, cum cogito, parum abest, quin in ipso hoc Sermonis mei praefamine posthabitis artis dicendi Magistrorum institutis alta voce iterum exclamem:

*O fortunatos nimium, bona si sua norint,
BREMENSES!*

Nulla porro, audacter & vere dico, est in Saxonia, in Saxonia autem? Nulla est in universa Germania, atque adeo in omni fere Europa civitas, quae Christiani nominis incrementum tantopere sibi curae cordique esse voluit, quae tot ecclesiae amplificandae, propagandae, tuendae causa exantlavit labores, tulit molestias, subivit pericula, quam quidem ab hujus urbis factum est incolis, usque adeo, ut non sint, quorum in rempublicam Christianam, vel ut illa ante RESTITUTA sacra, vel ut post illorum instaurationem, fuit, tot tamque luculenta exstiterint merita, quot quantaque in eam a nostris profecta sunt Bremenibus.

Atque hoc argumentum est, quod pro

fortunatis disciplinam Theologicam publice docendi provinciae auspiciis inter tot alia, quae animo obversabantur, quorumque copia me fere fecit inopem, potissimum seligendum putavi, de quo ad clepsydrae mensuram in splendidissimo hoc confesso dicerem, non plena illud atque uberi Oratione exhausturus, ecquis enim illud vel Tullius, vel Roscius posset? summa tamen rerum capita, ac veluti fastigia tacturus. Ad id, dum me accingo, arrectas patulasque aures, mentesque ad benevolentiam compositas non posco solum, sed & polliceor mihi, idque eo confidentius, quo persuasus sum magis, me, etsi sermone rudem, nullaque dicendi facultate instructum, de BREMENSIUM tamen in rem Christianam meritis inter BREMENSES peroraturum, vobis BREMEN-SIBUS neque insuavem prorsus, neque inauspicatum Oratorem visum iri.

Insigniter haud dubie de re Christianorum publica merentur, omniumque digni sunt praeconiis, qui caelestibus flammis excitati, id, quantum in ipsis situm est, agunt modis omnibus, quo quam plurimis ad salutarem cognitionem perductis. ex veteri Graecorum, quam & Francorum Regis suis inscribunt numis, triumphali formula, ubique locorum CHRISTUS vincat, CHRISTUS regnet, CHRISTUS imperet. Quae cum ita sint, quanta excellere meritorum gloria patriam

no-

nostram existimatis, cum qua nulla non dicam urbs, sed ne regio quidem in hac causa contendi, nedum ei anteferri potest? Quod enim maxima Germaniae pars, quod vastissimae & potentissimae regiones, quod adeo

*Omnis hyperboreo septem subjecta Trioni
Gens effraena Virum - -*

Christi paret imperio, quod dissipata, qua sepultae erant, inscientiae atque errorum nocte in luce divina etiamnum versantur, quod repudiato idolorum foedissimorum cultu praepotentem caeli terraeque Creatorem, & quem ille misit J.C. agnoscunt, verentur, adorant, id omne Bremensium curis, vigilantiae & sudoribus potissimum acceptum referendum est. Labebatur octavum idq; senescens saeculum, atque à prima hominum in has oras transmigratione spississima involuti superstitionis caligine in his terris vixerant populi. Donec auspiciis Divinis, Caroli Magni inusitata in Deum pietate, virtute, laboribus, victoriisque effectum est, ut barbarae, ac ferocitate immanes gentes, mitiores induerent mores, & victae non tam Francorum, quam Christi legibus effera colla submitterent. Is vero immortalis memoriae, nostrisque laudibus major Princeps ab eo tempore nihil sanctius, nihil antiquius habuit, quam ut illam felicitatem, quam huic tractui intulerat, illi stabilem redderet & perpetuam. Ea mente

omnem Saxoniam in Episcoporum dioceses
 dispertitus est, singulisque eorum Viros prae-
 fecit sanctitate morum, eruditionis, etiam
 saecularis praestantia, & augendae praesertim
 religionis fervore maxime conspicuos. For-
 tunata autem haec fors tum quoque contigit
 huic loco, qui id aetatis haud ignobilis Wigmo-
 diae vicus erat, cujus divini cultus curam,
 sive illa ei a Carolo injuncta esset, sive spon-
 te sua, & Christi amore unice impulsus, de
 eo enim disceptatur, in se suscepit WILLE-
 HADUS, rectissimi exempli Vir, & eximia
 vitae innocentia illustris. Id extra omnem
 controversiam positum est, HUIC eique suc-
 centuriatos nihil intentati reliquisse, quo
 Christiana religio in Germania, qua ad Se-
 ptentrionem vergit, inter Saxones, Freso-
 nes, Dacos, Slavos, Venedos, sive Hene-
 tos, Herulos, Cimbro, Nordalbingos, Hol-
 fates, Pomeranos, Wagrios, & in aliis la-
 te exporrectis plagis, quae Oceani marisque
 Balthici fluctibus pulsantur, nasceretur, cre-
 sceret, confirmaretur. Multum ad hanc
 rem opis atque adjumenti attulere doctrinae
 virtutisque parandae officinae, SCHOLAE,
 quae sapientissima Caroli Imp. sollicitudine
 sedibus cathedralibus annexae fuere, qua-
 rumque moderamen iis commissum fuit mo-
 nachorum sodalitatibus, quibus a canone vi-
 vendi singulari ex D. Augustini praescripto,
Canonicorum nomen impositum fuit, qui ta-
 men

men cum labentibus saeculis a majorum de-
 sciscerent virtute, majoremque gulae & vo-
 luptatum, quam mentium excolendarum
 curam gererent, *irregularium* titulos & nacti
 sunt & meriti. Tales virtutum Christiana-
 rum & scientiarum palaestras in hac quoque
 urbe, cui affixa erat Aquilonaris Episcopa-
 tus commoratio, illis temporibus viguisse, ex
 priscis aetatis monumentis non unis collige-
 re est. Certe insignem Bremensis scholae
 famam oportet ea aetate fuisse, cum e re-
 motissimis regionibus ad eam florentissimi
 Juvenes ad uberiores capiendum bonae
 mentis cultum, mitterentur. Id de Otto-
 caro, atavis edito Danorum regibus, de Os-
 mundo & Vicelino, illo deinde Saxonum,
 hoc Aldenburghensium Praefulibus comme-
 moravit Adamus Bremensis. Utique tali o-
 mnino opus erat seminario, ex quo depro-
 merentur Viri eximii, qui faciem veritatis
 aetherae tam vastis inferrent regnis, ex qua
 tanquam exuberanti quadam scaturigine,
 irrigandi erant totius orbis Borei incolae, &
 in qua tanquam plantario, educandae erant
 arbores, quarum pulcerrimis fructibus tot dis-
 sitae nationes exhilararentur & alerentur.

Pergamus itaque ad alias extra Germaniam
 positas provincias. Occurrunt illico DANI,
 contermina nobis gens. Illorum Rex Haral-
 dus una cum Conjuge & fratre Erico, multis-
 que aulae Proceribus Moguntiae praesente

Imperatore Ludovico sacris undis lustratus cum incredibili populi Christiani laetitia illius sacris accesserat. Petiit ille sibi in patriam redeunti Comites dari Evangelii Doctores, qui fluctuantes in fide confirmarent, totamque gentem Christianis ritibus expolirent. Obtulit se ultro praeclaro operi ANSGARIUS, Gallus, tum Corbejae ad Visurgim monachos literas docens, postea Bremensium & Hamburgensium, immo omnium Aquilonarium populorum venerandae & sacrae memoriae Antistes. Is adscito sibi laborum socio Autberto una cum Rege secundo Rheno descendit Coloniam, inde per Frisiam, vicinumque nobis tractum incolumis in Daniam appellit, & cum ibi per biennium commoratus, qua oris facundia, qua egregio integrae, scelerisque purae vitae exemplo, quam miraculis etiam, si priscis annalibus fides, multos Christianorum mysteriis initiasset, incolumis ad suos rediit. Quemadmodum autem tum primò omnium Christi crucis nomen inter Danos auditum est, ita cum deinceps ad eos inviseret Ansgarius *innumerabilem*, verba Historici sunt, *eorum multitudinem ad fidem traxit*. Immo cum annis insequentibus magnam contra Christianos exerceret rabiem Ericus, ita ut ecclesias circumquaque, expulsis Evangelii praeconibus, vel destrui vel claudi juberet, Ansgarius divini fretus auxilii spe eum Regem adiit, coram adfatus est, ejusque ex-

aspe-

asperatum animum tam mollem, tam placatum reddidit, quam ovem; Felici adeo successu, ut ipse non solum se veri Dei cultorem constantissime professus sit, sed & publico edicto per ditiones suas promulgato, idē subiectis suis singulis severe ac serio commendatum esse voluerit, magnifico etiam fano honori Salvatoris apud Ripenses consecrato.

Quem Ansgarius vivus suae alumnum disciplinae, perpetuumque laborum sodalem, quem mortuus rerum à se gestarum praecorem, munerumque successorem, eum quoque virtutum suarum heredem, operisque tam prosperis inchoati auspiciis indefessum promotorem habuit, D. nempe REIMBERTUM. Non ego, quantum ille consiliis suis, precibusque Normannis ubique victricium suorum armorum terrorem circumferentibus adtulit cladis commemoro. Non catenas compedesque, quibus Christianorum greges constrictos sibi habebat obvios, precibus ejus & aere disruptas enarro. Non splendida templa in Danorum Cimbrorumque confiniis ejus curis erecta recenseo. Id solum digito tango. Cum in illis oris omnia retro sublapsa referri inciperent, Daniaeque reges ad pristinas sordes delapsi insolentius in Christi famulos agerent, accurrit Rembertus, comitante eum BREMENSIS ecclesiae toto grege ad carceres & mortem cum eo ire parato, filium Regis Haroldum praedicatione sua lueratur Christo,

sto, illiusque fultus adjutorio, (Adami nostri stili-
lum agnoscitis,) omnes Danorum insulas pene-
travit, evangelizans verbum Evangelii gentibus, &
ordinatis per singulas ecclesias sacerdotibus fideles,
quos ille invenit, captivatos in Christo conforta-
vit.

Socios Danis adjungo SUECOS, non semper
quidem amico foedere sociatas, pari tamen
debitiois genere obnoxias Bremensibus na-
tiones. Venerant quoque Sueonum legati
ad Ludovicum Imperatorem, qui a pietate
sortitus est nomen, expetitur Viros, qui
Religioni Christianae, cujus desiderio flagra-
re multi incolarum dicebantur, suppetias
ferrent. Unum omnium illi expeditioni pa-
rem esse, qui & ad illam se sua sponte laetus
accinxit, Ansgarium nostrum credebatur, qui
comitatus a Widmaro, & Gislemaro, infi-
gni pietate & zelo sacerdotibus, Daniam tran-
siens in Sueciam transfretavit. In mari na-
vigio à piratis intercepto jacturam fecit rerum
omnium, praeter intrepidii fortisque ani-
mi, quo incitatus modo pedestri itinere,
modo navis opportunitate Bircam pervenit,
tum regni caput, regem salutatur, legationis
causam exponit, & libertatem annunciandi
Evangelium exposcit. Tum vero ille voti sui
damnatus occasionem urgere, imbuere rudes
populorum animos coelesti doctrina, neque
paucos aggregare sanctorum coetui, inter
quos ordines ducebat Herigarius, summae
apud

apud regem dignationis, & si vera est fabula, miraculis quoque illustris Vir. Postero tempore rebus Christianorum in illa regione non parum imminutis, illas restituere conatus est praeclarorum Virorum in eam ablegatorum opera. Tandem alterum ipse iter ad Suecos suscepit, non Germaniae solum, sed & Daniae regis literis commendatitiis instructus, & impetrata ab Olao rege, totiusque regni Ordinibus venia tanto cum successu Christi leges promulgat, ut ab eo tempore Religio sanctissima firmas radices agens, novisque indies amplificata incrementis, etiam nunc ibi locorum insigniter floreat. Tanti autem beneficii se memorem esse testatura illustris natio, diem quartum Februarii ejus memoriae dedicatum festum egit, atque illo sacras aedes laudibus ejus atque carminibus, res ab eogestas enarrantibus per omnem regionem personare voluit.

Neque tam nobilis rem Christianam in frigidis his terrarum tractibus augendi ardor, cum Ansgariis Rembertisve extinctus est. Quin tantorum heroum digni successores Adalgarius, Hogerus, Unno, Adalgagus, Libentius, Unwannus, Alebrandus, Adalbertus, Adalbero, (a) veneranda piis omnibus, at nobis praecipue nomina! id sibi potissimum

ne-

(a) Confer imprimis dissertationem eruditam, de felicibus Eccl. Bremensis initiis, & ejus primorum Episcoporum meritis, quae in ipsa hac Bibliotheca legitur, T. VI, fasc. II, diss. 3.

negotii datum esse existimarunt, ut gloriosa
 antecessorum suorum prementes vestigia,
 partum decus tuerentur, & fundamentis ab
 illis jactis solidi aliquid, & aeternum mansuri
 superstruerent. Hinc vel ipsi

*Ire per extremum Tanain, gelidosque Triones,
 Per mare, per glaciem, per saxa, per alta, per
 ignes.*

& loca impervia aliis, & extra anni solisque
 vias posita peragrare, caput mille mortibus
 ac calamitatibus objicere, vel alios divinis
 ignibus inflammatos eandem rem curatum
 identidem submittere. Hinc certas Episco-
 porum commorations fundare, templa sa-
 cro cultui dedicare, scholas pietatis & bonae
 mentis officinas excitare, labascentes Regum
 Procerumque animos in fide agnita perfulci-
 re, Synodos reformandae disciplinae causa
 instituere, sanctimoniae intaminatae face
 praelucere aliis, nihil denique contentionis
 sibi facere reliquum, quo de bellatis erroribus,
 deletaque superstitione caput altius efferret,
 ovareretque Christianorum religio. Si quis
 autem est qui putet, curas laboresque illorum
 exiguae fors alicujus Provinciae limitibus
 tantum fuisse circumscriptos, is meminerit,
 non aliis finibus, quam, quibus omnis orbis
 habitabilis, qua Aquilonem spectat, conti-
 netur, fuisse coarctatos. Id vel abunde do-
 cent illae publici instrumenti tabulae, quibus
 & Ludovicum Imp. & Gregorium summum

Romanorum sacerdotem, archiepiscopalem
 sedem in Saxonia nostra stabilivisse accepimus.
 In illis enim non Saxonum solum, & Nordal-
 bingorum, sed & Danorum, & Sueonum, &
 Norvegorum, & Farriae, & Groenlandorum, &
 Helsinglandorum, & Islandorum, & Schrichfin-
 dorum, & Sclavorum, immo OMNIUM, atten-
 dite A. Septentrionalium & Orientalium nationum,
 quocunque modo nominantur curationem pasto-
 ralem Ansgario nostro commendari legimus.
 Sane, quam longe lateque Bremensium
 Praesulum & fama, & industria se explicuerit,
 vel unico nunc ADALBERTI, Viri ad un-
 guem facti, ni nimio honorum studio virtu-
 tum suarum egregiarum, totque praeclare
 gestarum rerum decus contaminasset, exem-
 plo commonstremus; Tantam illius fuisse
 nominis famam, tantamque auctoritatem ut
 ad eum remotissimae gentes QUASI MUL-
 TORUM PATREM POPULORUM, IPSO
 POSTHABITO PAPA accurrerent, ejusque
 benedictionem insignis cujusdam muneris lo-
 co haberent, commemorat illi aequaevus
 Adamus noster. Idem ad eum huc BRE-
 MAM, quae etsi parvula, ex illius magnitu-
 dine instar alterius cujusdam ROMAE, gen-
 tium dominae, celebrabatur, ab omnium
 terrarum partibus, maxime septentrionalibus
 populis, ab ipsis adeo Islandiae, Groenlandiae-
 que, & Gothorum & Orchadum, quae terrarum
 atque insularum ultimae sunt, finibus conflu-

xiffe, operariosque, qui divinam penes se vineam cum plantarent, tum colerent, effugitasse testatur.

Et is ALBERTUS fuit profecto, qui favente tum rebus Christianorum Suenone, & Danorum & Norvegorum, & Suecorum potentissimo Rege, vel solus ultra viginti Episcopatus suis exornavit Antistitibus. In Dania sola constituit novem, & Slesvicensem sedem *Ratolfo*, Rigensem *Oddone*, Arhusinum *Christiano*, Viburgensem *Heriberto*, Wendilensem *Magno & Albrico*, Farrianum & Finnensem *Eilberto*, Selandorum *Wilhelmo*, Scanorum *Eignone* episcopis instruxit. Diversis Sueoniae cathedris sex, *Adelwardum*, Bremensium Decanum & *Acilinum*, & *Athelwardum*, & *Tadicum*, & *Simonem*, Scritifiagorum, uti *Adelwardum*, Upsaliensium consecravit Praesules. Praeter hos Razeburgenses illi suum *Aristonem*, Hierosolymitanum, Megapolitani *Joannem Scotum*, Martyrem, Aldenburgensium *Eizonem*, Norwegi *Tolphum*, & *Sicewardum*, Hitlandi Orcadesque *Turolphum* & *Albertum*, Islandi *Islephum*, & *Johannem*, Doctores & Pontifices suos debent.

Neque praetereundum nobis est beneficium, quod nunc ante hos sex annorum centenarios in Cimbro, Obotrito, Polavo, Wagrio, Venedo, Slavos, Holfatos ex his oris derivatum est. Relapsi illi erant ad pristinam barbariem, lucemque

do.

doctrinae supernae in his regionibus a Wil-
 lehado, Willerico, Ansgario olim accen-
 sam, extinxerant, immanitate efferati, &
 magna ex parte latrociniis maritimis infa-
 mes populi. Eo jam res redierat, ut in latis-
 sime exporrecto hoc terrarum ambitu nulla
 vel aedicula immortalis DEO consecrata su-
 peresset amplius, praeter eam, quae in ve-
 teri Lubeca exstructa erat. Tanto malo ut
 mederetur, huc concessit divino plenus Nu-
 mine, Adalberonis, Bremensium Praesulis
 cohortationibus praecipue instinctus, VI-
 CELINUS, incomparabilis facundiae, sua-
 vissimorum morum, rectissimi exempli, &
 eruditionis, prout ista ferebant tempora,
 rarissimae Vir,

*Tam meritis gravis, & virtutum pondere ma-
 gnus,*

*Quam levis, & tenero corpore parvus
 erat.*

NOSTER is fuit. Hujus enim urbis scholas
 suis laboribus instauratas magna cum dexte-
 ritate rexerat, idque in primis reportaverat
 laudis, juventutem hujus loci solutiori ad-
 suetam vitae, curis suis severiori Christiano-
 rum disciplina fuisse expolitam. Hic Falde-
 rae, qui nunc locus novi Monasterii nomen
 habet, sacellum ligneum exstruxit una cum
 coenobio, in quo cum sociis vitam innocen-
 tem per annos complures transegit. Ex hoc

ille orbis angulo vicina circumquaque loca
 visitare, per vicos & oppida rudium ani-
 mos doctrina excolere saniori, & quam plu-
 rimos ecclesiae Christo consecratae aggre-
 gare, infatigabili studio, haud pensi habi-
 tis, quae ab omni latere capiti imminebant,
 periculis. Quibus id effecit, ut non solum
 in favorem principum Virorum, **LOTHA-**
RII Imperatoris, **CANUTI** Danorum Re-
 gis, **HENRICI** & **ZUENTEPOLDI**, Vanda-
 liae Ducum, **FRIDERICI**, **ADALBERO-**
NIS, **HARTVICI**, Archipraesulum Bre-
 mensium, **ADOLPHI**, *Holsatiae* Comitis,
 se immergeret, sed & vivus ecclesiae *Sege-*
bergensis, & episcopes *Aldenburgerensis* curam,
 mortuus autem invidendum Sanctitatis no-
 men consequeretur. Auxiliatrices in tanto
 negotio manus praebuit illi ante omnes, Vir
 & castitate morum, & scientiae copia splen-
 didus, **DITMARIUS**, sive **THIATMA-**
RUS

-- *nostrae etiam non ultima gloria BREMAE,*
 quae vagientem excepit cunis, adolescentem
 literarum irrigavit doctrinis, Virum Basilicae
 suae decus, & Decanum suspexit. Hunc Vi-
 celinus primo in hac urbe auditorem suum
 & discipulum, iterum itineris in Galliam,
 suaeque in incluta Parisiorum Academia tri-
 ennalis commorationis comitem, postea au-
 rem perpetuum atque indefessum vigiliarum
 suarum ac contentionum socium habuit, &
 ad-

adjutorem. Quod itaque circa Boream spar-
 si populi, quorum nomen & Gallia & Hi-
 spania, & Latium, & ille populorum Do-
 mitor, populus Romanus tantum tremu-
 it, cum tremore & timore salutis suae ope-
 rari didicerit; quod tot tam incultae atque
 asperae gentes, ad mitiorem cultum, con-
 suetudinemque fuere traductae; quod ab
 his bellicosis nationibus, quae per saepe
 Christiano orbi tantum horroris cladisque &
 detrimenti adtulerant, in eum deinceps tan-
 tum ornamentum, & praesidii profectum est,
 quod frigore rigentia pectora flammis coele-
 stibus incaluere; quod toto divisae orbe
 insulae tam arctis, dulcissimisque vinculis
 nobiscum conjunctae sunt; quod horridae
 atque inaccessae Norvegorum rupes acceffe-
 re aeternae saeculorum rupi; quod ultima
 terrarum Thule non ultima earum fuit, quae
 Christo nomen dederunt; quod illa, miro
 fato! tot nunc jam saeculis, quasi evanuis-
 set, ignota. GROENLANDIA, regio

*Tristis, & ignavi plenissima frigoris, & quae
 igne vacat semper, caligine semper abundat,*

quod illa, inquam, solis justitiae radiis col-
 lustrata nituit; verbo; quod tot moribus di-
 versi, tanta locorum intercapedine divulsi,
 extra hominum commercium paene proje-
 cti, & praeter hominum speciem nihil pro-
 pmodum humani prae se ferentes populi,

Cimmérias tenebras cum admirabili luce,
 diram malorum geniorum servitutum cum
 aurea Filiorum Dei libertate, errores tur-
 pissimos cum veritatis via commutarunt, id
 omne, quantumcunque etiam est, est autem
 maximum, post immortalem Deum nostris
 debetur Bremensibus. O egregium atque in-
 comparabile patriae nostrae decus! ô insigni-
 tam modis omnibus, & ad aeternâ serae po-
 steritatis memoriam omnium ore, scriptis,
 atque aere perennioribus monumentis trans-
 mittendam BREMANI nominis gloriam!

At susurrari, & tacite regeri mihi audire
 videor, non hanc privam popularium no-
 strorum esse laudem, qua tantum me ef-
 fero, cum haec magnam partem pertine-
 ant ad extra patriam nostram natos, quique
 Hamburgensium non minus, ac Bremen-
 sium ecclesias moderati sunt, Praesules.
 Agite igitur, ad alia transeamus, quorum
 laudem ita sibi vindicare potest Brema, ut
 non necesse sit illi eam cum aliis partiri.
 Ut ex immensa rerum copia, quae mihi heic
 se offert, paucissima tantum delibem, statim
 heic meis se oculis ingerit LIVONIA. Ad-
 ultum ruebat duodecimum ab instaurata sa-
 lute saeculum, quo Livoni, Curones, Sem-
 gallenses, Oesellani, Russi, Esthones, Li-
 thuanii a sano Dei cultu alieni, moribus in-
 conditi, barbaram ferarum potius, quam
 hominum ritum vitam ducerent. Sueciae
 Da-

Daniaeque Reges Holbrodus, Heroldus, Canutus id egerant omni opum vi, ut disciplinae aetherae seminibus inter eos sparsis ad meliorem mentem, voluntatemque converterentur. Sed nequidquam omnia. Contigit autem, ut quidam municipum nostrorum, in re lauta atque aucta positi negotiationum causa mare Balthicum transeuntes, & tempestate agitati, ad ostium fluminis Dunae, *Dunamundam* etiamnum vocant, navem adpellerent. Novos hos hospites oris suis adlabentes conspicati regionis incolae, hostes suos esse primum rati, adoriuntur armis, at errore agnito, cum nonnullis velitationibus bellicam illorum virtutem experti essent, adeunt propius, & primum induciarum, & tum pacis cum iis foedus ineunt. Confirmata autem quotidiana consuetudine amicitia, merces, quas adtulerant, cum reculis suis commutandi, sacroque cultui dicatas exstruendi aediculas nostris hominibus facultatem largiuntur, hujus benevoli animi insigne ferentes pretium, doctrinae nimirum caelestis agnitionem. Primitiae tum Christo oblatae sunt, familia opibus, potentia, dignitate florentissima, cujus caput, & princeps COBBIUS cum ingenti necessariorum, clientum, sibi que subditorum hominum multitudine a *Meinhardo*, nostrate sacris adspersus undis non parum rei Christianae adjecit & incrementi, & praesidii. Atque ita

paulatim admirabili Dei providentia factum
 est, ut in his quoque terrarum immensis
 tractibus religio nostra à tenuibus his initiis
 paulatim adsurgens & quotidianis accessio-
 nibus aucta in immensum excresceret.
 Praesertim cum Brema succenturiarentur,
 qui tenelli gregis curam susciperent, tres
 Viri, haud tralatitia in Deum pietate, re-
 runque gerendarum peritia praestantes, qui
 suo junctim ordine primorum Episcoporum
 Livoniae fulserunt honoribus, MEINHAR-
 DUS *Canonicus Segebergensis*, BART-
 HOLDUS *gentilis noster & monasterii*
Cisterciensium S. Pauli, quod mœnibus no-
 stris olim imminuit, Abbas, quem Esthones
 postea crudelem in modum trucidarunt, &
 ALBERTUS, ex familia nobili Buxhove-
 densium nostrae civitatis incola. Adjicien-
 dus his quartus excellens virtute Vir HER-
 MANNUS, qui ex Abbate urbis nostrae
 primus Lealensium & Uggenusium in Li-
 vonia praesul sacrorum constitutus est. At-
 que hi quidem insigni cupiditate pomœria re-
 gni Christi extendendi exarsi, nullis labori-
 bus, non sanguini, non ipsi vitae parcunt.
 Truculentissimae quidem gentes cursum Ev-
 angelii, quantum in ipsis erat, vi atque ar-
 mis sufflaminare allaborabant. At hi Dei
 auxilio, & delectae florentissimorum ac for-
 tissimorum, qui ex his locis in terras illas
 commigraverant, Virorum manus praesi-
 dio,

dio, nec non mercatorum nostrorum opi-
 bus adjuti contra audentius ire, neque pri-
 us quiescere, quam tam arduum atque lau-
 dandum opus feliciter ab iis esset profligatum.
 Eum in finem exornata circumqua-
 que sacris aedibus est regio, erectae munitio-
 nes, quarum primae Uxkuliae nomen da-
 tum, oppidorum Dorpati, Lealii, Koken-
 husii, & quæ primo loco nominanda erat,
 RIGAE fundamenta jacta, quae ad hoc tem-
 pus commerciorum flore perincluta urbs,
 suaeque parentis, BREMAE nostrae, ad
 cujus archetypum exstructa est, cujusque insi-
 gnibus uti posse sibi gloriae duxit, aemula,
 illustribus documentis, & multis homini-
 bus nostris privilegiis concessis, quantum ma-
 tri huic suae debeat, testatum fecit. O secun-
 das Bremensis populi fortunas! O fortunis
 illis, omniumque praeconiis dignam virtu-
 tem! Quorum mercimoniis onusti in pa-
 triam redeunt, iis inaeestimabiles aeternarum
 veritatum thesauros relinquunt, id in sum-
 mo lucro ponentes, si gentes, quas lucri
 faciendi causa adierant, Christo & caelo
 felicissima permutatione lucriferi possent.
 Atque ita, quod potentissimi Reges toties
 in cassum tentaverant, Bremensium infati-
 gabili zelo, industria, liberalitate tandem
 plene fortunateque perfectum fuit.

Habetis, A. Specimina meritorum, quibus
 nostri homines sibi orbem, qua Arcton spe-

Etat, obligaverunt. Nunc in orientē, quae ve nascentem videt ora solem, properemus, in his quoque locis illorum honoribus statuta tropaez contemplaturi. Inefferat moriente saeculo undecimo malefana cupido Christianum orbem, tubam inflante, atque concitante populos Romanorum Pontifice, sanctam illam Servatoris, ejusque Legatorum vestigiis, sermonibus, & miraculis illustratam terram eripiundi è Barbarorum potestate. Quum itaque innumerabilis omnis ordinis, loci, aetatis atque sexus multitudo catervatim ita conflueret, ut unam omnium esse hanc vocem, sententiamque dixisses,

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui!
BREMENSES non postremum inter crucis tesserâ signatos locum occuparunt. Leguntur etiam nunc in annalibus nostris, & in ipsa curia sedecim splendore generis, atque opibus eminentium civium **BREMENSIUM**, inter quos tres senatorii erant ordinis, nomina, qui tum insigni comœtu, quem suis sibi impensis paraverant instructi, in Palaestinam profecti sunt. Quantâ illi virtute, quantaque dexteritate rem gesserunt, vel illa diplomatis Caesarei, quo eos reduces Henricus V. ornavit, verba loquantur. Ibi *Proconsulibus, Consulibus, & civibus civitatis BREMENSIS propter obsequiorum promptitudinem, & arrigite aures, ô cives mei! multas Deificas virtutes, & viriles actus, ac non modicos labores, & expensas in*
Hic

Hierosolymitana recuperatione factas plena ac libera potestas conceditur pacificandi, protegendi, & defendendi Visurgim. Iisdem chartis iis privilegium fori, & jus vestes suas auro & opere versicolori (id quod tum equestris dignitatis tessera erat) distinguendi, clypeumque Rolandinae statuae (qui civitatis tantum insignibus adhuc nituerat) imperii, quae & communis libertatis essent, insignibus exornandi concessum fuit.

Eadem religione, iisdemque praemiis excitati Bremenses imperante Conrado Imperatore, classicum canente D. BERNARDO, Claraevallensium Praesule, cum altera insignis notae expeditio in Palaestinam moveretur, quid & discuperent, quid & valerent Christiani causa nominis, luculentis iterum palam documentis fecerunt. Magna civium pars sub auspiciis Antistitis sui ADALBERI Slavos, Venedosque, quod immanicum ferocia & crudelitate jam pridem in sanctissimae fidei confessores, grassarentur, aggressi erant bello, eorum ut audaciam contunderent, & si pote, Christianis legibus assuefacerent. Sed vel hoc augustum nimis videbatur, in quo virtutes suas exsererent, theatrum. Dum populares in Europa pro aris & focis decertant fortiter, quasi illis non unus sufficeret orbis, neque PLURIBUS, quae vana nostrae etiam aetatis Regum fuit jactatio, essent IMPARES, Asiam meditantur, & classe valida,

copioseque instructa, quam lectissimus nobilitatis Saxonicae & Westphalicae flos implebat, profectionem alteram in Phoenicem suscipiunt. Accidit iis in hoc difficillimo itinere,

Res prisca memoranda annalibus, atque recenti Historia!

Omnem Hispaniam ea tempestate occupaverant Saraceni. Sola Gallaecia illorum jugo nondum colla subdiderat. In hujus provinciae portus cum dilatae Bremensium naves vela dimisissent, orantur ab ALPHONSO rege majorem in modum, ut sibi contra juratos Christianorum hostes adjutrices & copias & manus praeberent, collapsasque ubique res restituerent. Annuunt postulatis Cauca, militesque suos regis copiis admiscunt, in hostiles exercitus, quos quadringenties mille fuisse militum, quinque parentium Regum imperio ferunt, irruunt, multisque certaminibus debilitatos insigni clade in campis Oriciensibus afficiunt, neque discedunt prius, quam Olyssipponem, nunc LISBONAM, Lusitaniae, quae conterminae Gallaeciae provincia est, caput acri obsidione expugnatam, atque è faucibus truculentissimorum perduellium ereptam, Christianorum vindicassent imperio. Scilicet, hoc unicum deesse videbatur Bremensium virtutum fulgore, ut cum illo & Boream & Orientem late implevissent, Occidentem pariter ille feriret, &, qui tot loca, totque

totque populos immortalibus sibi beneficiis jam obstrinxerant, ipsos sibi Reges redderent obnoxios. Ab illo equidem tempore regni Lusitanici, usque adhuc florentissimi prima fundamenta jacta sunt, neque enim ante Alphonsum illum sibi quemquam Portugalliae Regis honores arrogasse accepimus. Quae ego cum apud animum meum reputo, me non gaudio solum aliquo delibutum, sed & admiratione perculsum sentio, idque eo magis, quo minus nostra urbs ad plenam id tempestatis maturitatem pervenerat, quoque longius ab illa aberat mediocritate, ad quam seculuris temporibus adscendit. Certe, quod Florus de Roma dixit, id de BREMA, Romae olim, teste Adamo nostro, aemula affirmare liceat; *Tantum haec operum pace belloque gessit, ut si quis eorum magnitudinem cum urbis ambitu conferat, vires ultra putet. Ita late per orbem terrarum & pedum & arma circumtulit, ut qui res ejus legant, non unius civitatis, sed populorum facta discant.*

In his omnibus invictum BREMENSIVM animorum robur, & inexstinguibilem rem Christianam cum fortunarum jacturâ, cum vitae discrimine, cum Sanguinis profusione promovendi ardorem ubique emicantem conspexistis, sed non leviora equidem sunt, quae dedere illius omnium Christianarum virtutum Reginae, sine qua reliquae nullae sunt omnino, a Domino nostro & Magistro
im-

impensissime commendatae, CARITATIS
 per fidem operosae specimina. Circumactum
 fere erat secundum supra decimum saeculum,
 cum Fridericus Ahenobarbus, supra laudes
 nostras positus Imperator, inclinatas & rui-
 nam ducentes ut Christianorum in Oriente
 res fulciret, instauraretque, magno cum ap-
 paratu profectioem in Palaestinam molitus
 est. Sequuntur Imperatorem, ut solebant,
 Bremenses itinere navali, comite usi Archie-
 piscopo Hartvico. Contigit autem, cum
 urbem Syriae, & situ & opere munitissimam
 Acronem, sive Ptolemaida jam annua obli-
 dione pressisset Christianorum exercitus, ut
 longe maxima ejus pars vel enecta fame, vel
 siti languida, vel torrido sole perusta, vel
 continuis laboribus adtrita, vel cruentis vul-
 neribus confecta, miserum in modum lan-
 guesceret. Nae miserandum, & illaetabile
 spectaculum! milites, tanta terrae marisque
 spatia emensos, non aëri adsuetos, non vi-
 ctui, ab omni latere, trucis ac feri hostis mu-
 cronibus obvios, rerum omnium egenos, nul-
 lius fere hominum auxilio sublevatos, ardori-
 bus solis expositos in solo arenoso, eoque pe-
 regrino, jacentes dispersosque veluti peco-
 ra, contueri. Tantorum malorum tristi ad-
 spectu commoti & ad clementiam, misericor-
 diamque traducti fuere uni omnium fere po-
 pulanum nostrorum animi. Octo enim pro-
 bitatis spectatae Viri, qui Lubecam Bremam-
 que

que agnoscebant patriam, & patulum cor, & adjutrices miseris manus praeberere, languidos & vix spiritum trahentes sub expansis navium, quales *Cocas* vocabant, velis congregare, cibo potuque refocillare, alligare vulnera, remedia morbis porrigere, domos hortosque; in quibus aegrorum curaretur valetudo, aere suo coemere, neque ullum benignitatis & comitatis genus omittere. Rapuit haec nostrorum civium, quorum bellicam virtutem adstupuerant toties; pietas, Ducum, atque ipsius Hierosolymorum Regis animos in admirationem, qui, ne tam egregii facinoris fructus deperiret illico, ansam inde ceperunt, famigeratissimum illum **EQUITUM S. MARIAE**, S. Teutonicorum ordinem erigendi. Illius alterum Magistrum, fuisse *Ottonem von CARPEN* inter Bremens. patricio genere ortum, venerandum octoginta annorum senem, non minori genti nostrae laudi est, quam, quod & in precibus suis sollennibus disertis verbis Bremensium in primis commeminisse, iisque juxta cum Lubecensibus collegii sui dignitatem ex ordine civico unis omnium patere voluerunt.

Haec vero illa incluta, illa illustris est societas, quae à tenuibus initiis ad summum dignitatis & potentiae culmen se extulit, quae adtritas, ac labascentes Christianorum in Oriente res aliquandiu sustinuit, quae deinde in Borussiam à **Conrado Masoviae & Cu-**

Cujaviae Duce evocata, praeferocés nominis Christiani perduelles, Borùssos, Lithuanos, Livonos fregit, domuit, contrivit; & ut Christi imperata facerent, allicuit, persuasit, impulit; Non minoris olim famae ejusdemque instituti collegium tunc temporis floruit, quod ob duos decussatim pectori impositos rubei coloris gladios, *Ensisferorum* nomen tulit. Illud pariter natales suos & originem Bremensium Canonico, quem meminimus, qui deinde Livonorum Cathedrae praefectus rerum gestarum gloria eminuit, **ALBERTO** debet: Cui una cum sociis Innocentius III. Papa concessit, ut quodcunque terrarum infidelibus extorsissent armorum vi, id iis jure permaneret victoriae, & ad religionem Christianam tutandam impenderetur. Quidquid adeo ab utroque hoc fulgidissimo, splendidissimoque sodalicio, quod deinde propter communem rei Christianae utilitatem auspiciis Gregorii IX. conflatum coaluit, in coetus Christianorum derivatum est commodi, ut sane derivatum est longe plurimum, id omne rursus fere unice **BREMENSIVM** rationibus adscribendum est.

Iisdem circiter temporibus non minus notabilem in modum gentilium meorum in asserenda veritate, in tuenda ecclesiae, quam veram putabant, gloria, in coercendis haereticorum furoribus, eluxit promptitudo. In proxima urbis vicinia, **STEDINGENSIUM** agros nostis, illorum coloni adolescente ter-
tio

tio supra decimum saeculo teterrimorum fla-
 gitiorum, errorumque spurcissimorum erant
 accusati. Dicebantur, (verba vobis recito
 ex hac cathedra, quae ex cathedra olim Petri
 promulgavit Gregorius Papa hujus nominis
 nonus) *nec Deum, nec homines reverentes doctri-
 nam S. matris ecclesiae vilipendere, ejusque impu-
 gnare libertatem, eos deditos crudelitatis officio,
 quasi de ferinis uberibus fuerint enutriti, nulli parce-
 re sexui, aut aetati, effundere sanguinem, sicut
 aquam. Clericos & religiosos ferali more lacerare,
 & quosdam instar crucis affigere parieti in oppro-
 brium erucifixi, Illos, ut se indicent divinae esse
 potentiae contemtores, salutis nostrae viaticum, quo
 vita tribuitur, & mors tollitur peccatorum, hor-
 ribilius, quam decet exprimi, pertractare, respon-
 sa quaerere Daemonum, simulacra cerea facere, &
 in suis spurcitiis erroneas consulere pythonissas. Nec
 his terminis circumscripta fuit atrocitas crimi-
 num, quorum insimulabantur. Illi veterum
 de duobus rerum principiis sibi contrariis er-
 rorem recoxisse, illi bufones, illi Asmodeum,
 illi idolum Ammon divinis prosecutos fuisse
 honoribus, illi *nigrum cattum* foedissimum in
 modum in suorum initiationibus solitos fuisse
 osculari, illi incestibus turpissimis, infandis-
 que libidinibus se polluisse, illi de multis aliis,
 quae animus meminisse horret, quae pudor
 efferre vetat, sceleribus arguebantur. Tam
 exitialis generi humano, coetuique Christia-
 no pestis, ut tolleretur, promulgatur ut olim
 contra*

contra Sarracenos, & nuper adeo contra Nordalbingos, & Prutenos, in miseros expeditio cruciata. Concurrunt & finitimi, & longius diffiti populi, advolant sociatis copiis & Bremensium & Brabantiae & Hollandiae & Geldriae & Cliviae & Oldenburgensium Archipraesules, Duces, Comites, & in pago qui à vetusta fraxino *Oldeneschae* nomen tulit, uno ab urbe hac lapide congregatos adoruntur, fugant, fundunt, & horribilem sex mille hominum nulla aetatis vel sexus habita ratione partim ense trucidatorum, partim equorum unguis conculcatorum, partim in fossas & fluvium actorum stragem edunt. In toto hoc negotio haud exiguae civium nostrorum fuere partes. Ex hac enim urbe quaquaversum emissi sunt, qui contra tam tetrae notae homines suppetias sollicitarent. Intra haec moenia omnem illum quadraginta mille virorum cruce signatorum, qui terra marique convolaverant, exercitum patulis ulnis exceptum consiliis, & re, & opibus, & manu praeclare adjuverunt. Cujus facti praemium non egregias solum laudes, sed & spolia ampla retulerunt S. P. Q. B. tertia bonorum STE-DINGIAE, & aeris, quo mulctati fuere, parte aucti, id quod iis solennibus principum Virorum tabellis confirmatum fuit.

Enim verò persentisco mihi quosdam oggerere, tun' eo nomine Bremenses tuos tam magnificis laudibus in caelos effers

fers, quod & famosas illas & contra infideles
 in terra sancta, & contra Stedingios in vicini-
 a expeditiones promoverunt, cum tamen
 plus inde illatum sit rei Christianae damni,
 quam emolumentum, hi autem illorum scele-
 rum accusati quidem, at convicti nunquam
 sint. Fateor haec non sine colore aliquo af-
 ferri. Neque enim inficias ire ausim, bellum
 illud, quod *sacrum* vocant, Romani Praesulis,
 mirificis artibus ac praestigiis, quas suam ut in-
 domitam impleret dominandi libidinem, ad-
 hibuit, deberi, neque vix illud cum sanis ae-
 quitatis & justitiae regulis conciliari posse.
 Neque id dissimulare volo, Stedingos illos
 partem aliquam fuisse illustrium illorum veri-
 tatis confessorum, qui illa aetate fortia Jovi
 Capitolino pectora opposuere; Jam pridem
 enim ita animum induxi, ut credam, palma-
 rium & unicum fere crimen, quod tanta in
 eos odia, tantas aerumnas, tamque horrendas
 clades excitavit, hoc fuisse, quod libertati as-
 sueta natio, intolerabile clericorum jugum, di-
 rasque illas vexationes, quibus illi subjectos
 sibi populos premebant, indocilis esset pati.

(a) Reliqua autem, quae illis impingebantur,
 Class. VII. Fasc. VI. D d d d de-

(a) Traetavit hoc argumentum non ita pridem erudite,
 ut solet, Jo. Hermannus SCHMINCKIUS, qui Sere-
 nissimi Landgravii Hassiae a consiliis est & Biblio-
 theca, fautor meus a longis retro annis honoratissi-
 mus. Paratis nunc novam & magnis accessionibus
 locupletatam Eginhardi editionem, quod, ea mente
 mo-

delicta ejus sunt generis, ut vix in homines, ne dum in Christianos cadere posse videantur. Cum tamen illis impacta sunt, meminerimus, prorsus similia objecta & olim fuisse pri-

moneo, ut si qui sint, qui ad eam ornandam aliquid opis conferre possint, id quamprimum faciant, & liberaliter, quidquid illius beneficii est, in hominem gratisimum collocaturi. Ceterum non leve innocentiae Stedingorum (qui perperam in praefatione vocantur *Stigandi*) testimonium est, quod iis impertitur in illius aetatis Chronico Erfordiensis, nuper admodum a Viro M. R. Jo. Friderico SCHANNATO in coll. *x. vindemiarum liter.* promulgato, in quo non solum nihil illis errorum aut scelerum imputatur, sed haec tantum causa illorum motuum indicatur, quod, cum parochiae diffusae & distentae essent, & matronae cum filiabus suis ad ecclesiam in festis diebus curribus advectae venissent famuli de castro comitis Ottonis de *Aldenbergh* (i. e. Oldenburgensis) petita a Domino suo licentia & obtenta, violenter sibi uxores rapuerunt. Observatum praeterea a me est, illis, qui tam dira in istam gentem perpetrarunt, rem haud cessisse feliciter. In ipsa enim acie sociati exercitus perdidere homines plus quater mille. In praelio occubuerunt Henricus & Wilhelmus, Oldenburgensium & Egmondiae Comites, Gerhardus Dynasta Diestanus, cum magna nobilitatis praecipuae manu. Domum rediturus comes Clivorum Neomagi occiditur. In sequenti anno non solum Henricus, Brabantiae dux, qui exercitum summo cum imperio praefuerat, animam efflat, sed et Florentius Hollandiae comes comitis Claromontani consilio perit. Hanc urbem nostram anno proximo Otto Brunsvicensium dux arcta obsidione premit, & circumjacentes agros igni ac ferro depopulatur. Ita ut oppressorum sanguini hostium supplicis parentum esse dicas.

primorum saeculorum Christianis, & eadem illa tempestate Waldensibus, Albigensibusque hominibus vel ex hostium capitalium confessione sanctissimis, atque ab omni facinore quietissimis.

Quamquam itaque haec ita sunt, parum tamen exinde vel nihil BREMENSIUM meorum decedit laudibus. Quemadmodum enim miles, qui rerum suarum Satagit, fortiterque ac strenue agit, sacramenti, quo tenetur, memor, suo non privandus est, encomio, suis praemiis, et si Principis, sub quo stipendia meretur, causa non aequissima est. Et veluti recte agere dicendus est, qui Christiana charitate impulsus stipem largâ manu erogat, quamvis, qui eam accipit, ea abutatur turpissime, & vel in ipsius, qui eam dedit, perniciem convertat, ita sane majores nostri debitis praecomis non orbandi sunt, dum Christi amore flagrantes, regni ejus cultusque proferendi desiderio permoti, & opes suas, & fortunas, & sanguinem, vitam adeo ipsam profuderunt liberaliter, quamquam, illi, quos rectores, doctoresque coeco impetu sequebantur, effraeni suae magis ambitioni, & inexplebili habendi cupiditati, quam causas Christi, & religionis, quam praetexebant, militarent. Crimina, quibus postulabantur Stedingi, tam atrocia erant, ut si rebus fuissent revicta; quovis supplicio digni fuissent

deputandi, nihilque tam acerbum, quod non infra merita esset, in eos potuisset statui. Non deerant tamen colores, quos suis accusationibus inducerent. Honesta erat oratio. Immorigeri sunt magistratibus. Sunt homines desperatae ac deploratae factionis. Sunt hostes ecclesiae. Infesti sunt sacerdotibus. Turpissimos errores tuentur. Multa in Deum, hominesque nefarie commiserunt. Omnia repagula pudoris & officii perfregerunt. Id ipse iudicavit, qui errare non potest, *Christi in terris vicarius*. Puniendi itaque sunt *pharmaci*, tollendi è medio, excindendi. Pestifera haec lues, ne latius serpat, in ipsis primordiis extinguenda est. Ad GLADIOS! Ad CRUCES! Ad ROGUM!

Accedebat, quod anilis superstitio illis temporibus per gentes fusa omnium animos nimium quantum opprefferat. Dicta sacri ordinis Virorum, quam futilia erant, quam insulsa, tanquam oracula è caelo dilapsa venerabantur. Horrenda barbaries, atque incredibilis rerum inscientia imos, medioxumus, summos, divina omnia atque humana occupaverat. Nemini fere integrum erat in tanta perditissimorum saeculorum Labe rerum causas & momenta suis ponderibus examinare. Equis itaque miretur, cives nostros duces suos, qua ibant, non qua eundum.

dam erat, secutos, quod exemplo fiebat, iure fieri putantes, immanibus Clericorum vociferationibus agitados, se communi quadam eluvione abripi fuisse passos, ut ad eos, quorum causam fulcire fortassis debuissent, perdendos sibi quoque concurrendum iudicaverint? Si enim, Tullio auctore, *res quaedam ex tempore & ex consilio, non ex sua natura considerandae sunt*, quis, si quid heic peccatum fuit, id non temporum infelicitati unice adscribat, aut ea, quae bona inducti voluntate, generosoq; animati impetu nostri homines perpetrarunt, quod ea nunc minus sapienter acta esse iudicemus, propterea sua defraudanda esse gloria existimet?

Vix ego adhuc ea attingi, quae quinque saeculorum decursu praes aliis memoratu digna a nostris hominibus gesta sunt, & jam tempus illud, quod huic orationi destinatum erat, non sentienti elapsum animadverto. Injurius autem in vos essem, A. illaque benevolentia, quam in me audiendo praebuistis, indignus, si reliquorum, quae dicenda restant, recitatione, vestra morari tempora amplius sustinerem. His itaque, quae FELICEM praecipue illam TEMPORUM & ecclesiae REPARATIONEM vel spectant, vel insecuta sunt in tempus magis opportunum rejectis, finem dicendi faciam, ubi tribus, quod ajunt verbis, gratum animum, necessitudinem, amorem

rem, singulis, quibus haec debeo, declaravero.

Vos itaque primum compello, **INCLUTI PROCERES**, Conscripti Patriae Patres, Domini mei & Maecenates summopere colendi! Quod tanta meritis suis parta, & ab ultimis usque reipublicae initiis per integram fere annorum chiliada ad nos derivata, **BREMENSIS** populi gloria, & par gloriae fortuna nondum imminuta est, sed inviolata usque adhuc perstat, novisque indies laetissimis accessionibus adaugetur, id post aeternum Numen providentissimae curae vestrae, vestrae sollicitae pro salute publica excubationi, sapientiae vestrae ac solertiae adscribendum est. Quo nomine, ut omnium, qui castum Dei cultum amant, studia, observantiam, immo admirationem domi, forisque magno merito vestro vobis conciliastis, ita & **HAEC** ego, quem vobis ea etiam causa totum vestrum reddidistis, quanta fieri potest cum laetitia, vobis gratulor. Adcessit autem nuper ingens ad vestra in me beneficia cumulus, quando mihi homini non alia re; quam aliquo fortassis desiderio, ecclesiae bonisque literis inserviendi, si & illo, commendabili, conflata omnium voluntatum studiorumque consensione, sapientiam caelestem in magnifico hoc eruditionis theatro profitendi munus committere voluistis. Nolui illud ad hunc diem ambitiosa meâ, meorum-

ve prensatione peturire, & quod jam abunde alias esset, quod agerem, & quod, quantum mihi deesset illarum facultatum, quae ad illud rite exornandum requiruntur, probe intelligerem. Nunc autem, cum id sponte vestra feceritis, in vestro iudicio divini digiti nutum adoro pronus, & demandatas has mihi partes promte suscipio, ne & subterfugere velle labores videar, & DEO diffidere, quasi ille in hoc homuncione suam exserere potentiam, & vel ex infantis ore laudem sibi parare nequiret. Immo accidit id eo jucundius, quod simul Conradum IKENIUM, ob niveum animi candorem, rarasque ingenii & doctrinae opes, multo amicissimum caput, eorundem laborum Comitem mihi consociastis. Pro his itaque ceterisque omnibus prolixae in me voluntatis vestrae significationibus tantum vobis debeo, quantum vix cogitatione assequor, certe persolvere perquam difficile est. Non tamen verbis sesamo ac papavere sparsis aut ad assentationem compositis vobis agam, referamque gratias, sed tales, quibus, nisi vehementer animi fallor, ullas mihi magis decoras, honestioresve, aut vobis jucundiores haud facile exspectaveritis. Id enim agam navibus & quadrigis, velis remisque, eo intendam omnes ingenii, si quod mihi est, nervos summa contentione, ne vel vestra omnino fallam expectationem, ne vel patriae

meae, vel huic loco sim dedecori, vos autem tam impensum favorem apud me haud male collocatum esse, experiundo cognoscatis. Multa quidem & magna sunt decora, quibus effulgetis, dubito tamen an inter illa illustrius & augustum magis sit eo, quod inter omnes liberarum in Germania civitatum Magistratus vos soli sanctissimae omnium atque emendatissimae religioni nomen dedistis;

*Sit vobis decus hoc aere perennis,
Regalique situ Pyramidum altius,
Quod non diruat, aut innumerabilis
Annorum series, aut fuga temporum!*

Agite igitur, quod agitis, atque incomparabilem hanc & inusitatam laudem custodite vobis perpetuo, asserite fortiter, tuemini constanter. Pergite, DOMINI! de ecclesia, cujus nutritii, de bonis literis, quarum patroni, de hoc virtutis, bonaeque mentis sacario, quod tam liberaliter sustinetis, de tota hac urbe, quam tam sapienter juxta & felicissime moderamini, bene & praeclaro mereri indefinenter! Ita vestra in urbem BREMENSIUM & BREMENSIUM in rem Christianam merita sera, at gratata posteritas agnoscat, celebrabit, obstupescet. Sed & pergite, o Proceres, de me, meisque, ex quibus jam me tertium tam insigni mactum esse dignitate voluistis, ut facitis, bene mereri. Sic & ego, & nati mei, si qui supererunt, &

Nati

Nati natorum, & qui post nascentur ab illis, non inutiles patriae cives se praestabunt, venturaeque aetati vestra in gentem nostram merita loquentur, praedicabunt, summisque in caelum evehent laudibus.

Neque minus benevolum adfectum a vobis exspecto, splendida Lycei hujus lumina, divinae humanaeque sapientiae scientissimi PROFESSORES. Neminem quidem unum inter vos superesse eorum video, quibus olim adolescens in his subselliis operam dedi, at complures contemplor, quibus suavissimis ejusdem muneris ac necessitudinis per longam annorum seriem sanctissime sine ulla reconciliatione cultae vinculis alligatus sum. Ea me nunc spes alit, omnes me nunc laetos lubentesque in hoc collegium vestrum suscepturos, cujus & Pater meus, & frater, nunc uterque caelo recepti, non paenitendum olim incrementum fuere. Horum ego legam vestigia, & qualem me adhuc experti estis, Germanae fidei, & priscae simplicitatis, aperti oris & cordis, fuci nescium, concordiae autem tam studiosum, quam a litibus & partium studiis, quae exitiales scholarum pestes judico, alienum hominem, talem me, adspirante Deo, rebus ipsis porro experiemini. Severam hanc mihi legem impositam esse arbitrabor, Nocendum esse nemini, at omnium, quantum pote, inserviendum commodis. Atque hunc invetera-

tum mihi morem constanter, & inviolate conservabo, neque à regia hac, quam ingressus sum via, me vel transversum unguem dimoveri, quoad vixero, patiar. Agite igitur, Viri pereximii! & me nunc vestro consortio adscribendum benevole complectimini, adjuvate consiliis, tegite praesidio, laboribusque fessum suavissimae consuetudinis fructu fovete, reficite, exhilarate. Vos ego sequar, licet non passibus aequis, sequar tamen; & dum vos id agitis feliciter, ne de *Bremensium nostrae aetatis in rem Christianam meritis*, olim dicturo, ampla & copiosa deesse possit oratio, ego in id incumbam omni studio, ne quisquam mea culpa illorum laudi quidquam detractum turpemve iniustam maculam, jure possit conqueri.

Sed & vos denique mihi adloquendi estis, ad omne decus efflorescens Juventus, praecleara ecclesiae, parentum, patriae & venturae aetatis, nostraque expectatio! Vestri causa ego hodie humeris meis imbecillibus, neque multum sustinere valentibus novum onus imponi, totque laboribus, qui circum caput & latus saliunt, alios adjungi patior. Vestris desideriis ut satis fiat, de **VOBIS** non male merendi ut impofterum uberius suppetat occasio, hanc cathedram hodie adscendi laetus, neque minori cum alacritate, quam ante hos sedecim annos eodem mense, eodemque paene die, HA.
NO.

NOVIAE, quae pulcherrima Germaniae
 urbs laborum meorum tulit primitias, id
 factum est. Scitis amplissimum costum, cui
 sacramento quodam addictus sum, meam
 sibi operam vindicare. Quidquid tamen ab
 orationibus in illo habendis, quidquid à pue-
 rorum, innuptarumque puellarum institu-
 tionibus, quidquid ab aegrorum, & tam
 mente, quam corpore infirmiorum visita-
 tionibus, aut si quae sunt aliae Sacerdotis
 Christiani partes, quidquid, inquam, ab il-
 lis vacivi restabit temporis, id omne vobis di-
 catum, consecratumque esto. Officiam mi-
 hi, dum officio, quod vobis debeo, satis-
 faciam, inserviando vobis, consumar. Te-
 rar instar cotis, vobis dum profim. Nihil
 meum erit, quod non & vestrum. Ipsa li-
 braria supellex, delitiae meae, quam mi-
 hi & AMICIS non levibus impensis compa-
 ravi, vestris, qui inter amicos non ultimum
 locum occupatis, usibus patens & parata
 erit. Arripite itaque, suavissima capita, ar-
 ripite tam commodam, quae liberaliter vo-
 bis offertur, opportunitatem. Utimini hoc
 homine, qui totus vester & nexu & mancu-
 pio est. Ejus mirificum vestra amplificandi
 commoda ardorem, vestro discendi ardore
 excitate, incendite, inflammate: Non con-
 sistendum est vobis tantae spei juvenibus in-
 ter mediocria. Ad summa quaeque enite-
 mini. Pudebit, clara voce & sine circui-
 tione

fione loquor, pudebit me auditorii mei, si quemquam in eo esse scivero, qui non ad primi ordinis in ecclesia & Academiis Doctorum dignitatem adspiret. Fingite itaque vos & genere vestro, & patria, & parentibus, sed & fingite vos Deo & Christo dignos. Nullius rei vobis acerbior sit jactura, quam temporis & pacatae conscientiae. Timorem Domini unicum actionum vestrarum & principium, & finem & proram & puppim & cynosuram & metam constituite. Cum illa felicissima conspiratione, stabilique connubio jungite indefessum literarum, solidaeque eruditionis studium, ut PIETATIS ERUDITAE, quae praecipuum hominis Theologi ornamentum est, fructus & nunc & olim suo quisque loco reportet divites, laetissimosque.

*MAXIME REX Regum, vasti Sol auree mundi,
Auree sol vitae, vitaeque luxque meae,
Ad te confugio supplex; o fronte serena,
Respice me servum mancipiumque tuum.
Quod sum, quod vivo, quod sum rationis alumnus,
Magne DEUS, solum muneris omne tui est.
Quod traho de Christi mea nomine nomina, puris
Imbutus sacris, muneris omne tui est.
Auspice TE, manibus tractavi oracula castis,
In templis voces haec sonuere meae.
Nunc eadem Clariae celso de ponte cathedrae
TE Duce Pierios usque docebo greges.*

Haec quoties placida stupefactus mente revolvo,
 Quod fieri media nocte, dieque solet.
 Sum minor, exclamo, tantique indignus honoris,
 Quo natum ancillae vis cumulare tuae.
 Heu mihi, quam nihil est, quod forte rependere
 possim!

Quae dabo pro tantis munera muneribus?
 En me ipsum! nimis o exile, quod offero, donum,
 Non majora tamen munera possideo.
 Tu mihi diceris semper, laudabere semper,
 Tu mihi, si vivam, grande volumen eris.
 Impiger huc geminas curas, geminosque labores
 Cum gemino, tribuam, munere maectus ero.
 Annue nunc nostris conatibus, annue coeptis,
 Impleat & totos aura superna sinus.
 Nil sine te potero, sed & omnia quivero tecum,
 Ore potens tecum, te sine mutus ero.
 Sis mihi tu Rector, sis Dux, via, petra Salusque,
 Anchora, spes, rebus semita, faxque meis.
 PATRIA praecipue sit commendata diebus
 Perpetuis curae, praesidioque tuo.
 Splendida conserves augusti membra SENATUS,
 Haec cara, haec oculis sint pretiosa tuis.
 Quod sunt, esse velint fulcimina juris & aequi,
 Custodes legum, portus & ara piis,
 Perfugium miseris, terrorque tremorque malorum,
 Sint Maecenates, sint Patriaeque Patres.
 Protege doctrinae hoc templum, penetrabile Miner-
 vae,
 Hanc urbis stellam, Palladiumque, SCHO-
 LAM,

Pectora coelesti sint Numine plena docentur,
 Oraque siderei nectare plena favi.
 Sint Nasiraeorum rutilis mage rubra pyropis
 Pectora, sint lacte & candidiora nive.
 Et Charites Musis, & Musis nectere Christum
 Artibus adsuescat sacra juventa bonis.
 Moenibus in nostris pietas agat alta triumphos,
 RELIGIO laetum tollat ad astra caput!
 RELIGIO heu! nimium passim turbata capillos,
 Adfigatque suis multa tropaea tholis.
 Frendeas impietas, mordeatque irata catenas,
 Barbaries nostro fit procul exul humo.
 Oscula pax, justique tenor sibi mutua figant,
 Alma fides vero sit sociata comes.
 Excrescant celsae meritorum pondera BREMAE
 In coetura, nomen qui tibi, CHRISTE, dedis.
 Ut, quod materiem nunc uni praebuit horae,
 Mox sit materies apta voluminibus.
 BREMAque Cancorum Caput, hospitiumque tuorum,
 BREMA repurgatae religionis bonos,
 Fortunata bonis, tua cura & prima voluptas,
 Gemma sit imperii, meta sit invidiae,
 Nullis pressa malis, nullis concussa procellis,
 Stet, vigeat saeculis innumerabilibus!

ACTVM EST!

THEODORO HASAEO,

Fratri optimo,

cum Theologiae in illustri Chau-
corum schola Professionem
publice auspicare-
tur S.

Tincte Palaestino pectus, THEODORE,
liquore,
HASAEE, Aonii gloria magna jugi.
HASAEE, & rerum columenque decusque
meorum!

Sanguinis atq; animae pars, THEODORE,
meae.

Ergo tuis veniunt meritis sua praemia, cum-
que

Annis, & famâ crescit honoris apex?
Pavisti teneras divino nectare mentes;
Adcedit curis major alumna tuis,
Flos juvenum, gens sacra DEO, Nasiraca
propago,

Hauriet excultum fantis ab ore melos.
Scilicet haec decrat vestrae manus ultima
laudi,

Lumine nunc fulgent plena theatra Tuo.
Pulcra quidem res est, populo referare sa-
lutis

Fontem, qui scaturit sanguine, Christe, tuo.
Eccc 2 Estque

Estque aliquid Trini mysteria pandere Jovæ,
 Et sanctum vivo pascere pane gregem,
 At fuscæ vena meliore docere juventam,
 Ut florum cœli rore rigetur Honos;
 Divitias Verbi, totumque aperire profun-
 dum,

Impletum Eois Hesperisque bonis,
 Exque ovibus brutis ovium formare magi-
 stros;

Hoc superis ortæ nobilitatis opus.
 Cum tamen has capias, nec partes deseris
 illas,

Quam furit in ténero pectore dius amor!
 O si Pegasei conspersus fonte caballi,
 Nunc possem laudes dicere rite tuas!
 Sed me sacra tenent sancti majora Sionis,
 Qua timet æternas tingere Rhenus aquas.
 Dumque animum mulcet nunc sanctior aura
 Tonantis,

Non venit in nostras mitis Apollo preces.
 At quia, vestra magis quem tangunt gaudia,
 nemo est,

In parvo magni pignus amoris habe.
 Parva decent humiles, & mentis conscia
 vota,

Te roseis vexit fama superba rotis.
 Sensit prima tuum, meminitque HANO-
 VIA Nomen,

Miscuit & Mœni flumen, HASAEE, tuo.
 Hic avida bibit aure cohors, quod Græcia
 pulcri,

Quod

Quod Latium, totus quod capiebat Eos.
Invidet, atque suo potitura ecclesia a-
lumno

Patria, vult magni Te comitem ire patris?
Vidimus hic densa properantem nube po-
pellum,

Aethereo multam lacte levare sitim.
(Tum patrias gnatus curabat sedulus artes,
Fulcibatque humeris languida membra
suis)

Nec stitit hic generosa fames; ille altius
ibat,

Fulsurus docto, qua patet ille, choro.
Hinc tantus Tibi crevit honos; urbs regia
gaudet

HASAEUM Sociis adnumerare suis.
Vos Frisii testor campi, vicineque Teuto,
Quique manu blanda sollicitastis eum,
Non erit hic vester, nam fortibus implicat
ulnis

Et jungit cordi patria cara suo;
Patria, quæ pacis librat cum fructibus artes,
Nec stat Mercurio dimidiatus honos.
Salve sancta virum mater, Parnassia tellus,
O emendatae religionis amor!
Et tu Visurgi, non infima gloria aqua-
rum,

Nil nisi divinos murmure redde sonos!
Audiit, & fluctus tollit; Tu scande cathe-
dram,

Muneris auspiciam, magne Propheta, tui;
Dum.

Dumque pios cives ad sidera laudibus effers,
 Infere sideribus nomen, HASAEE, tuum!

Trajecti ad Rhenum Nonis Majis
 cl^o lb ccXXIII.

PAULUS HASAEUS.

X.

Ad fugam Vacui. (a)

DEwyle de löflike Stadt Bremen warhafftige eene Moder ys veler Lyflandischen Stete, und Schläter, und de ock fast gantz Lyfland uth der Döpe gehaven, unde dat sülvige Landt dorch ere Kinder uth der Heydenschop tho dem Christendome, negest Godt verholpen, und uth der gruwlicken Düsternisse der affgöder, tho dem heilsamen Lichte Godtliker Erkenntnisse erstlich gebracht hefft. Wente de olden Lyflandischen Chronicken nevenst velen anderen unweddersprecklick vermelden dat de Bremer Koeplüde de Provintz Lyflandt, mit groter Gefahr erstlick upgesegelt, unde darna dat Christendohm, dorch einem gelerden Prester, mit Namen MEYNERDT (negest Godt) erstlick darin gebracht hebben, Welcker *Meynerdt* thom ersten Bischoppe in Lyflandt darna ys vorordenet worden. Na dem
 Mey-

(a) Ad confirmationem eorum, quae de meritis Bremensium in Livonos dicta sunt, placuit haec annexere, ex dedicatione, quam *Chronico suo Livonico* praemisit *Balthasar RVSSOVIVS, Revaliensis*, V, D. M. impresso 1578. 4.


Meynardo ys BARTOLD ein Bremer, de ander Bischof in Lyfland gewesen, welcher de Stadt Riga erstlick begreppen unde gefunderet heft. Na dem Bartoldo ys ALBRECHT, avermals ein Bremer, de drütde Bischof in Lyflandt geworden, welcher eene Krone aller nachfolgenden Lyflendischn Bischöppen gewesen ys, unde, welcher flyth, moye unde arbeydt men nicht genochsam beschryven kan. He heft ock alle de andern Bischofsdöme in Lyflandt gewonnen, gestiftet unde synen Landslütten, den Bremer Kindern uthgedeelt, welcher nevenst dem Bischof Albrechte, de Regenten unde Heren in Lyflandt tho der tydt gewesen sint. Und de Stadt Riga, Dörpte, Kokenhusen, Leall, unde vele andere mehr Städte unde Borgten, Kercken unde Klusen, in eren Stifften mit allen flyte gefunderet unde gebuwet unde, de Lande mit darstreckinge eres Blodes bekref-tiget, unde tho dem Christlicken geloven bekeret hebben. Dewyle averst de Heyden-schen Lande in Lyflandt fast groth unde mechtig, unde gedachte Bischof Albrecht, mit synen Anhange tho schwack gewesen ys, heft de Pawest em einen Ridderorden tho geordnet, de den Bischöppen de Lande förder gewinnen unde beschermen helpen scholden &c.


Dewyle denne de Bremer Kinder de ersten Bischöppe in Lyflandt gewesen sint, und de
höge.

högeſte Autorität im Lande gehabt hebben, ſo ys ydt ock ungetwyvelt gewiſſe, dat ſe ock domals vele jungen Manſchop-Börger unde Börger Kinder van Bremen, uth derſülvigen jegene, alſe eres Landeslüde unde Vorwanten, in Lyflandt gefördert hebben, van welckeren etlicke in den Düdeſchen Orden getreden, unde etlicke ſick vor Krygeſlüde jegen de Unchriſten gebrüken laten hebben. Wente anſenckliken nicht allein de van Adel des Düdeſchen Ordens in Lyflandt werdich geweſen ſint, ſunderen ock Börger Kinder, inſunderheit van Bremen unde Lübeck, welckere Lyflandes nicht weniger alſe de van Adel, ja ock vele mehr dat beſte gedahn hebben, unde nadem de reiſigen van Bremen ſik wolgeholden hebben, ſint ſie van Biſchöppen eren Landeslüden, vor allen andern gefordert unde mit ſtaedtlichen vorleningen begabet worden, dar vele des Lyflendiſchen Adels uth entſpraten ys. Unde noch hüdiges Dages een ehrlick oldt Geſchlechte van Adel, byr im Lande vorhanden ys, dat de *van Bremen* genömt werth, tho eener ewigen Tücheniſſe und Gedechtenniſſe, dat ſe van oldinges her uth Bremen entſpraten &c.

QVAESTIO.

Quis fuerit ΓΑΙΘΑΣ Ο Ζαπίτης, cujus meminere LXX. in 1. Reg. IV: 31?





BIBLIOTHECA
BREMENSIS.
TOM. VII.

Brem. c. 58

Brem.

c.

58.